







NICOLAI BLANCARDI PANEGYRICVS,

PRO

IVBILEO SEV FESTO SECVLARI,

IVSSV PROCERVM, IN TEMPLO ACADEMICO, DICTVS MDCLXXXV, DIE SEPT. XXIV.



FRANEQVERAE,

Excudit JOHANNES GYSELAER, Illustrium Frisiae Ordinum & eorundem Academiae Typographus Ordinarius.



ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO HENRICO CASIMIRO, DEI GRATIA PRINCIPI NASSAVIAE, COMITI CATTIMELIBOCORVM, VIANDAE, DIETZIAE, SPIEGELBERGAE, DOMINO BEYLSTEINII, BARONI LIESVELDIAE; FRISIORVM GVBERNATORI HAEREDITARIO, SVMMOQVE MILITIAE PRAEFECTO, ETC. NOBILIBVS ET POTENTIBVS ILLVSTRIVM FRISIAE ORDINVM DELEGATIS NOVEMVIRIS; MAGNIFICIS ACADEMIAE CVRATORIBVS QVATVORVIRIS, PANEGYRICVM SVVM, AVCTORITATE PVBLICA DICTVM, CETERAQVE OMNIA, ANIMI DEVOTISSIMI MONVMENTA, NICOLAVS BLANCARDVS DICAT ET CONSECRAT.



VOTVM SAECVLARE
pro
ACADEMIA
FRANEKERANA,
incomparabili viro

DN. NICOLAO BLANCARDO,
Historiarum literarumque Græcarum Professori Ordinario, & p. t. Rectori Magnifico &c. &c. oblatum

à

SVFFRIDO GERROLDO A BVRMANIA,
Grietmanno in Wymbritzeradeel, & nomine Frisiæ ad Illustrissimum Statuum Generalium confessum Delegato.

CIↃ IↃC LXXXV.

Floruit à primis jam bis Academia cunis
Lustra decem, & toto sustulit orbe caput:
In Patriæ commune bonum, sanctæque Sionis,
Sæcula bis totidem tu superadde Deus.
Vivat jo seros Princeps Casimirus in annos,
Sit tanto Aönidum vindice sarta Domus.

Vivite Magnates, Frisiæ Tutela Minervæ,
Præsidiis tantis mons Heliconis ovat.
Vivite queîs Clariæ cura est commissa juventæ,
(Nomina tot priscis æquiparanda Viris)
Quos dudum ingenii vexit super Aethera pennis
Non exspectato candida Fama rogo.
Tuque o magne Virûm, nostri, Blancarde, tot inter
Illustres sæcli, Lux rediviva, faces;
Qui jam solenni ritu, pro tempore fasces,
Pieridumque tibi credita sceptra tenes;
Quemque perorantem, toto applaudente Lyceo,
Vidimus, & Latio verba tonare sono;
Vive diu, post has iterum, Vir docte, secures,
Bis ter contingat purpura & ista tibi.
Quod vovet ex animo vestris Burmania Musis,
Qui pars illarum quantulacunque fuit.
Quin dedit augurium felix, atque omina nobis
Fausta serenato candidus axe dies.

Chronosticon.

BIs qVater & VIgVIt bIs seX aCaDeMIa LVstra:
SæCVLa tV qVater & sex sVperaDDe DeVs.



NICO-



NICOLAVS. BLANCARDVS. P. T. ACADEMIAE. RECTOR. QVANDOQVIDEM. QVOD. COELESTE. ILLVD. NVMEN. FELIX. AC. SALVTARE. ESSE. VELIT. ILLVSTRES. ET. PRAEPOTENTES. INCLYTAE. FRISIAE. ORDINES. NEC. NON. CELSISSIMVS. NASSAVIORVM. PRINCEPS. HENRICVS. CASIMIRVS. G. F. E. N. FRISIAE. GVBERNATOR. HAEREDITARIVS. ET. SVMMVS. MILITIAE. PRAEFECTVS. ETC. ETC. ACADEMIAE. MAGNIFICENTISSIMVS. CVRATOR. NOBILES. ITEM. AC. POTENTES. PATRIAE. PATRVM. DELEGATI. NOVEMVIRI. DENIQVE. MAGNIFICI. CVRATORES. QVATVORVIRI. SACRVM. LYCEI. IVBILEVM. IMMINENTE. IOVIS. DIE. QVI. MENSIS. SEPTEMBRIS. ERIT. QVARTVS. ET. VIGESIMVS. RITV. SOLENNI. POMPA.QVE. FESTIVA. DECRERVNT. CELEBRARE. QVO. PIETATEM. SVAM. DEO. OPTIMO. MAXIMO. AMOREM. REIPVB. ET. ECCLESIAE. SECVLO. GAVDIA. DICARENT. EGO.QVE. IVSSV. PROCERVM. AVCTORATVS. VT. IN.

ACA-

ACADEMIAE. SACRARIO. CVNCTOS. AD. SERIAM. DIVINAE. BENIGNITATIS. AESTIMATIONEM. EXCITARE. STVDEREM. SIMVL. EXCELLENTIVM. VIRORVM. QVI. IN. HIS. AVDITORIIS. GLORIOSE. DOCVERVNT. MEMORIA. PER. BREVES. SED. VERISSIMAS. LAVDVM. FORMVLAS. REPETERETVR. OMNES. CVIVSCVNQVE. ORDINIS. VIROS. NOBILES. MAGISTRATVS. VERBI. DIVINI. PRAECONES. VIRTVTIS. ET. SAPIENTIAE. STVDIOSOS. SIVE. FAVTORES. AD. ACTVM. SOLENNEM. SVA. PRAESENTIA. ORNANDVM. AMICE. ET. BENEVOLE. INVITO.



CEL-



CELSISSIME ET ILLVSTRISSIME NASSAVIORVM PRINCEPS, FRISIAE PRAEFECTE HEREDITARIE, ACADEMIAE CVRATOR HONORARIE, MAGNIFICENTISSIME, ETC. ETC. ILLVSTRIVM ET PRAEPOTENTIVM PROVINCIAE HVIVS ORDINVM NOBILES AC POTENTES DELEGATI NOVEMVIRI, EORVMQVE SECRETARIE FIDELISSIME. MAGNIFICI ACADEMIAE CVRATORES. AMPLISSIME AC DIVINI HVMANIQVE IVRIS CONSVLTISSIME EXSENATOR. FACVLTATVM, LINGVARVM, ET ARTIVM PROFESSORES CLARISSIMI. FRANEKERAE, VRBIS ACADEMICAE, CONSVLES AMPLISSIMI. REVERENDI ECCLESIARVM ANTISTITES, CETERIQVE GENERIS SPLENDORE, DIGNITATE, ET DOCTRINA SPECTATISSIMI. CIVES ET ADVENAE CVIVSCVNQVE LOCI ET ORDINIS HVMANISSIMI, GRATISSIMI. TVQVE NOBILIS ET GENEROSA LECTISSIMAE IVVENTVTIS CORONA.

Uod majores nostri a Deo Optimo Maximo precati fuere, cum Academiam Christo & Ecclesiae dicarent; ut proferre illius initia, lateque extendere dignaretur: ejus quidem voti compotes esse factos, omnis ordo, omnis dignitas, omnis aetas, patriae, sibi, nobis impense gratulatur. Post tot pace belloque parta decora nihil superaddi potuit aut nobilius ad laudem, aut certius ad salutem, quam quod hodiernae diei celebritas, haec inusitata illustrium virorum frequentia, decurso jam seculo, exhibet pulcherrimum Academiae bonum. Sacra dies, & memoriae posterorum propaganda, quae florem Frisiae nobilitatis, quae tot ex Batavia ceterisque Provinciis hospites, festo in hanc urbem apparatu, ad communia gaudia coegit.

Gau-

Gaudet rebus ſuper vota fluentibus Ordinum majeſtas: gaudet illuſtriſſimus heros Naſſavius, quem cum ſupremis Patriae & Academiae collegiis pompae literariae praeeſſe videmus: gaudent clariſſimi & divinarum humanarumque rerum gnari antiſtites: laetatur ampliſſimus hujus opidi magiſtratus; & deinceps laetabitur, ſi modo tantae rei beneficium vel agnoſcere velit, aut capere poſſit. Ipſe miles, poſt tot victorias urbiumque excidia, aeternae paci, & cum ea auctis ornatiſque Muſarum ſacris, laeto armorum ſono applaudit. Ac ſi parum fuiſſet Maranam luem, ſaevumque & barbarum hoſtem a cervicibus depuliſſe, niſi & barbaries radicitus evelleretur. Hic enim annus eſt, Auditores, alter hujus reipub. & Academiae natalis, quo Iubileum inimus temporum felicium, quibus ſuperſtitio profligata, frac-

ta exactorum juga, tenebrae diſcuſſae, lux orta: qua civitati ſua libertas, Eccleſiae ſuus nitor, ſenatui ſuum jus, populo ſalus, vita, ſpiritus, omnia denique reſtituta fuere. Ingens ſane numinis benignitas, quae omnem eloquentiae vim, omnem grates dignas referendi facultatem ſupergrediens, ita omnium animos percellit, ut in ſola ejus contemplatione defixi, inexhauſtam divinae gratiae ubertatem ſupplicibus votis veneremur. Atque idem ſummi hujus boni largitor Deus munus illud ſolidum eſſe voluit, cum perpetuo pios excitavit magiſtratus, qui juſtitiae & religionis amore accenſi, nunquam non ſuarum partium eſſe credebant, Academiae praeficere viros pietatis & doctrinae laude celeberrimos, qui juventutem ſibi commiſſam tuta ad ſcientias via deducant, ad humani-

tatis ſtudia informent, qui verae ſapientiae monitis animos luxuriantes ceu frenis coerceant reſtringantque; ut ſimul adoleverint, patriae, parentibus, propinquis amiciſque, praeſidio, honori ac uſui eſſe poſſint. Vidit hoc ipſum jam inde ab initio cordatus ille Gulielmus Ludovicus Naſſavius, avitae libertatis aſſertor: viderunt Ordinum nobiles ac potentes delegati, & huic quoque cogitationi in maximis bellorum fervoribus (quae propria Batavorum Friſiorumque laus eſt) aliquam temporis partem tribuerunt, ut commune ſeminarium haberent, ſeu oraculi inſtar verius, quod arduis in rebus conſulere, & unde, tanquam ex adyto reſponſa petere liceret: illis praeſertim temporibus, quibus intererat reip. juventutem longo militiae uſu efferatam, ſenſim ad manſuetudinem & deſueta

pacis ſtudia reduci: eaque res demum ſolenni iſta Academiarum dedicatione, ad optatum finem perducta eſt. Quis vero non cum plauſu & admiratione jucunda recordetur, neque metum hoſtilem, neque municipalis agri vaſtitatem, ceteraſque anguſtias remoram ullam vel impedimentum objeciſſe, quo minus reditus & proventus annui, iique perpetui ac duraturi aſſignarentur, unde decreta ſtipendia facile venirent. Quae exempla aliae deinceps provinciae ſecutae, ubivis nova doctrinarum delubra ſtruxerunt. Et fuit omni tempore magnus ad has ſapientiae arces, in Belgica foederata erectas, e diverſis terrarum oris, advenarum confluxus; ut a populo armato melioris cujuſdam cultioriſque eruditionis ſpecimen peteretur. Reipſa enim & maximis documentis compertum, eſſe in indole

dole Belgarum aliquid ad ſcientias diſciplinaſque natum factumque, quod opponi ac praeferri etiam tot ſuperioris aevi gentibus & nationibus jure poſſet. Adeo Deus mirabili diſpenſatione cunctis oſtendere voluit, quam valeat omnia naturae curſibus advorſa efficere, cum in hoc orbis angulo, inter maris ac ventorum tempeſtates, inter Martis tubas & bellorum diſcrimina, imperium tamen & regnum eruditionis ſtare juſſit. Ceterum initio rerum apud noſtrates variis acerrimiſque certatum ſententiis, quo in opido Academia conſtabiliretur; ſed invidia civilis diſcordiae, cui ſe principis urbis cives impotentius miſcebant, hoc decus Franekeranis conciliavit. Qui cum ſua in urbe comitia haberi cernerent, pleriſque nobilium Leovardianis partibus adverſis, facile tenuerunt, ne alibi Aca-

demia, quam in hac civitate, hospitium inveniret. Multa id temporis commoda simul confluere videbantur: aeris benignitas, opidi rara mundities; urbium, qua Sol Frisiam videt, amoenissima; nec tractu spaciosa, nec desertis horrida, sed campestri planicie declivis mare ex propinquo intuetur. Nullibi magis prodiga natura visa est, ita pascuis dives, & prata virore gratissimo picta, armentis tolerandis ad stuporem luxuriat. Quin ipsa civitas, ab aulae & fori strepitu turbisque insanientis populi remota, altum silentium & gratam studentibus quietem promittebat. Locus in coenobio Cruciferorum haud parvis impendiis, tenui licet aerario, adornatus: aedes monastica, quae per iniurias bellorum profano servierat usui, sacris Academicis consecrata. Lecti, nec sine judicio, septem sapien-

pientiae Doctores, qui pro se quisque datam stationem in oculis juventutis ornarent, viri eruditione spectabiles, moribus integri, nullius fastus aut supercilii, dubiis in rebus prudentiae singularis, in adversis exerciti, consona & unanimi omnium ordinum voce commendati. Hos felicibus auspiciis rituque solenni introduxit Abelus Franckena, ingens Reipub. lumen, cui virtus, gestique honores, & tolerata saepius pericula, istius diei laetitiam addixerant. Is Patrum & Praefecti Guilielmi Ludovici nomine verba praeivit, plena constantiae ac pietatis, quibus eorum studia, & pro religione ac civitate ubivis excubantem vigilantiam laudavit, cum pulsa ignorantiae caligine, Christo ejusque populo Academiam ceu templum quoddam dedicarent. Extat tanti viri ad docentes & inge-

nuam pubem satis efficax oratio, quae clarorum hominum scriptis ac sermonibus celebratur. Hanc excepit Henricus ille Antonides, bonis artibus copiosus & facundia insignis. Nec dubitabat profiteri, ex iis quae audierat, & coram intuebatur, abunde praestita optimorum Patriae patrum officia, sanctissimoque numini accepta: & quorum nomine immortales gratiae ab omni hominum genere & seris nepotibus deberentur. Iamque omnia sic erant comparata, ut designati Doctores operi admovere manus possent; in possessionem suae quisque provinciae mittuntur. Religionis studium curabat aetate jam matura Martinus Lydius, nascentis Academiae Rector primus, domo quidem Daventriensis, & inclytis ortus majoribus; sed ob exilia parentum, quae diri temporis necessitas expresserat,

mater eum apud Lubecenſes enixa liberaliter educavit. Fuit hoc, ut bellum inexpertis eſſe ſolet, initio dulce. Lenibat enim immeritae poenae conſcientia errorum dolorem: & pro animi perſuaſione, hanc a quietis domeſticae portu aberrationem brevem fore ſuſpicabatur. Verum motoria haec fabula toties agenda fuit, ut jugi ejus repetitio fortiſſimum quemque frangeret: donec Belgicae ſua quaedam reddita ſerenitas; Lydiuſque, paſcendo eccleſias, doctrinae & pietatis fama celebris, heic praeſidium ſimul repperit ac ſolatium. Alter ab illo Lindenus; quod egregium ſaeculi decus Nerda produxit, Hiſpanica laniena nobilis civitas. In adoleſcentiae flore, poſt parentis ſocerique & affinium caedem, iuſſu ducis Albani proſcriptus, dum ſollicitam agit vitam, dum ei per itinera ſtruuntur inſi-

 diae,

diae, lictorum nexus manicis ac morti esset destinatus; occurrit vetus jam tum & verae religionis sedes, trans Amasim Frisia, quam Enno Comitis nomine moderabatur. Illic periculi securus, inter tot exulum myriadas, qui armata vulgi furentis odia effugerant, benigne habitus, historiam Tobiae, vitae moralis speculum, carminibus illustravit: Quod opus, gratissimi undecim annorum hospitii tesseram, patriae suae redditus, Edzardo Adolpho, Ennonis nepoti, consecravit. Leguntur ejusdem de Ecclesiae disciplina aphorismorum centuriae, Initia hujus Vniversitatis, sermo in Templi dedicatione habitus; Initia suae gubernationis, quae tunc supremus Academiae moderator ex hoc loco publice dixit. Est mihi facultas adstruendi, virum Ecclesiae devotum, cui annis ferme quinqua-

ginta ſervierat; & in docendi ſtatione, quam per annos octo & viginti feliciter implevit, plurima ſcribendo, ſacris de rebus optume meruiſſe. Verum iſta fortaſſe temporis edacitas abſorpſit, & temere alias niſi apud heredes repperientur. Certe in ſummis habitus eſt viris; de quo ſi homines taceant, hoc literatum marmor, pietatis cauſa poſitum, donec probitas & modeſtia in pretio erunt, loquetur, ac monebit, non cum aetate mittendam commemorationem nominis ejus, ſed cum omni poſteritate adaequandam. Civile ſtudium illuſtrabat Henricus Scotanus, Cujacii magiſterio nobilis doctor; qui ſolus per ſeptennium legitimae ſcientiae ſuffecit. Itaque incitabat omnes mirabili diligentia, cottidie bis docere ſuetus; & cum ſe totum juventuti dicaſſet, eam ſcholis privatis ſic ad-

juvit, ut plura a parente proficiſci non potuerint. Claruerat quoque Allardi Auletii Doccumani eruditio, cui ars medendi obtigerat. Sed & literas Graecorum Petrejus Tiara, Worcumanus, cum egregia laude ac felicitate interpretabatur. Vir ingenii ſagacis, judicii acris: nec ſolum philoſophus ac medicus eximius, verum amoena morum gravitate ſupra profeſſionem ſpectabilis. Hic in Lyceo Lovanienſi adoleverat, apud Duacenos & Leidenſes docuerat, tum in patria Academia eaſdem literas ad extremum vitae profeſſus eſt. Quis fuerit, fidem faciunt, quae de iis Latina fecit utroque ſermone, tam adſtricto quam ſoluto; ſic ut Italorum quoque ora in ſe adverterit. Atque ea deinde virtus, niſi in ſolis Arceriis, reluxit. Maximum acceſſit lumen Ianus Druſius, Aldenardenſis, Ebraizan-
tium

tium princeps, & Scaligero percharus: qui & mutuam operam commodavit adversus Serarium, & quotquot rosis unguibus barbaque sapiunt. Nec quod in Dialecticis subtile, in moralibus vitae profuturum, in naturae rebus delectabile fuerat, igneae mentis acie rimari destitit Lollius ab Adama. Inter primos quos curandis regendisque studiis Ordines imposuerunt, Kempo a Donia fuit; cui deinceps e singulis Frisiae tetrarchiis accessere singuli: quorum nomina famae dicata, apud nos leguntur. Talibus magistris atque exemplis juventus excita in eam multitudinem excrevit, ut artes communi & privatae utilitati propiores, quae antea per infrequentiam jacebant, alendis ingeniis non sufficiant: quamquam Hollandi Lugdunum Bataviae haud ita pridem eodem instituto extulissent:

quae civitas, clara fidei & conſtantiae, poſt varias obſidii clades, oblata tributorum remiſſione, hoc praemium maluerat. Verum creſcente Academiae noſtrae fortuna, auctis quoque ſacri aerarii cenſibus, numerus docentium factus eſt major. Itaque ſacrorum duumviris, Lydio & Lindeno, acceſſit tertium ſydus, non externae originis, ſed in Friſia Tranſiadana exoriens, Sibrandus Lubbertus, qui priorum famam cum progreſſu temporis docendo ſcribendoque ſupergreſſus; & ſi credimus Emmio, Academiae hujus oculus & columen, ac niſi rem fulciſſet diſciplinae vitio labantem, fortuna ejus minor fuiſſet. Hoc ei elogium ſcripſit ille patriae hiſtoriae pater quemadmodum egregium ita verum, ut ut angat etiam ſe propterea, crepetve aemulatio. Atque utinam acer diſputator non raptan-

dum

dum se iracundiae dedisset, cum in causa Conradi Vorstii Grotio rescripsit, cum Hollandiae status præsides atque tutores, quaesita Socinianismi fabula, invidiae obiecit. Vnde illa fidei minus bonae, negare dicta quae dixeris, alteri nec dicta nec cogitata impingere, errata tueri mordicus, aliena bene dicta depravare, rixari muliebriter. Nec unquam defuere, qui in sacrorum penetralia ducerent initiatos, eorumque abditos evolventes sensus quam citissime epoptas facerent. Ipsa nobis Sarmatia dedit Maccovium & Arnoldum, Britannia Amesium, Gallia Vedelium & Steinbergium, Brema Coccejum. Hic post Sixtinum Amamam in Ebraeis literis ad miraculum eruditus, ut se ad divini verbi illustrationem contulit, omnibus aut par aut major, certe plurimis antiquae ecclesiae scripto-

 tori-

toribus antehabitus est. Sed ubi fatum implevit, a semidoctis & barbaris pungi, scindi, lacerari crudelissime coepit: ab intelligentibus rerum ceu numen adoratur. Ceterum Cloppenburgius, & docendi genere & scriptis egregium aevi sui ornamentum, etiam cum esse desiit, aequabili fruitur fama sui. Denique ex vetusta Frisiorum segete in Theologiae facultatem succrevere bini Scotani; & quem medio tempore Patres in nostrum collegium transtulerunt, Johannes Bogermannus, olim synodi Dordraceni praeses, veteris Testamenti interpres, ac versionis Belgarum juxta alios censor fidelis. Meinardus Scotanus, velut Apollos Alexandrinus, potens in scripturis; eorum quoque, qui a nobis dissident, testimoniis inculpatus, tanto cum fructu, & piorum omnium amore, docuit vixitque, ut desidе-

siderium ejus intermori necdum possit, quotiescunque animos subit recordatio singularis illius dicendi majestatis, qua efficacissime mentes auditorum flectebat; & suspiciendae morum gravitatis, affabili humanitate temperatae. Alter Christianus, polyhistor, vir sui nominis, & cui vita vigilia, dubium fecit plura legerit an scripserit; bibliotheca sacra praecipue innotuit, etiam exterorum elogiis commendata. Et horum plerosque junxit fraterna pietas, & qualis inter ejusdem religionis professores esse debebat, caritas, concordia, ac disciplinae tutandae ardens studium: quidam, humani generis vitio, inter se obtrectarunt. Nec quod reliquum est sapientiae deferebatur. Itaque resumptis animis, Henrico Scotano, Juris & prudentiae consulto; adstites collegae dati, Julius a Beima,

qui, exemplo Tiarae ac Drusii, Leida vocatus; Johannes Sandius, Trajecto accersitus; Marcus Lyclama de Nyeholt, membranarum & benedictorum libris opido clarus. Nec minore gloria domi repertus Timaeus Faber, vir acris ingenii solidaeque eruditionis; & quod super ista, notabili probitate raraque modestia eminentissimus. Hic operarum consortes, sed divisis temporibus, accepit Paulum Busium Swollanum; & Joachimum Andreae, Stralesunda oriundum, qui mira fortunæ varietate ad illustria munera enixus, praecipuam dignationem ad posteros transmisit. Sed hujus exemplum laudando ausu excepit Hector Bouricius, perpoliti vir ingenii & elegantis doctrinae: quem nisi curae senatoriae oppressissent, potuerat scribendo duraturam in secula famam propagare.

Ber-

Bernardus quoque Scotanus, patrem industria & pietate aemulatus, religiosissimi Iurisconsulti nomen invenit. Quantus fuerit, e judiciis hominum & experimentis constare potest: nisi enim eximias dotes omniaque praeclari viri decora in eo splendescere credidissent, non post Frisios Trajectini ac Leidenses eum certatim honorificeque evocassent. Henricus Rhala, qui per octodecim annos eloquentiam Romani sermonis cum laude ornaverat, tandem suo quodam jure sacris Jurisprudentiae admotus. Johannes denique Wissenbachius, domo Nassavius, at matrimonio fortunaque factus Frisius, omnium expectationem non modo egregie implevit, sed valore doctrinae totque victuris ingenii monumentis multum superavit. In summam tamen Frisiae gentis studia inspiciens, & tempus

quo loca ſupremi ſenatus, ac praeturae juriſdictionum ampliſſimarum Profeſſoribus dabantur, nullum reperio ad Viglii vel ſapientis Hopperi dignationem proceſſiſſe. Ars quoque medendi ſuos habuit Podalyrios, Clingbylium, Winſemium Graece doctiſſimum, & Lindenum, Hippocratis Celſique recognitione illuſtrem. Noviſſime acceſſit novus ille Machaon Frencelius, qui apud Patavium contubernio Veslingii & Rhodii nobilis, heic cunctis civibus & principibus viris gratiſſimus vixit. Ipſa philoſophia moderatrix animi, & interpres naturae, pulcra illa quidem & decens quocunque colore, ſed longe pulcrior, ſi ut Venus modo nata mari in nativa ſua compoſitione viſatur, heic, culpa aetatis an hominum, diu jacuit inculta ſpiniſque horrida, & fere in contentiones ac fumos deſiit:

nisi quod in Phocylide & Greidano, (florentissimi ingenii doctoribus) nuper etiam in Gulichio revirescere visa; sed hic Frisiae genti ceu fulgur ostensus est, statimque ereptus. Mihi certe pium, utinam efficax votum, ut juventus caligine, situ, squalore, liberata, omnibusque errorum nebulis discussis, ad divinam serenitatem & sacrarium veri recta contendere possit: Sed manibus compressis spectandum, quid serus vesper vehat. Inter Matheseos doctores primus caput extulit Adrianus ille Metius Alcmarianus, qui, adducto per meditationem animo, post Gemmam Frisium & Hueum, portatiles coeli terræque machinas curatius repraesentavit: tam obvia facilitate, ut vel imperitos instruere, omnes ad syderum regionumque contemplationem allicere posint, In Geometria multorum lites dire-

 mit,

mit, dubia ſtabilivit, obſcura illuſſtravit; ubivis rem omnem ſic temperavit, ut viam brevem primo cognoſcendi, dien cognita cum aliorum ſcriptis expendendi indicaret. Quae cuncta per Galliam Italiamque, & patentem late Germaniam faventibus judiciis accipiebantur. Penetravit melior ea fama in Arctoum uſque orbem; unde nobiles ad audiendum Metium huc certatim convenere, ejuſque magiſterio praeclaris artibus imbuti in ſuam quiſque patriam remeaverunt. Tantum Lycei lumen paſſibus aequis ſecuti ſunt Bernardi Fullenii, pater filiuſque, &, qui hos inter medius per annos XXIV fuit, Abrahamus Gravius, vir diligentiae indefatigabilis, ac praeter Matheſeos ſcientiam, purioris philoſophiae, omniumque literarum (quibus maximam vitae ſuae partem ſollicite im-

impenderat) cognitione laudatissimus. Agmen tot heroum claudat Pierius Winsemius Leoardiensis, quem Patres in secessu ruris agentem historiographi munere circumdederant: qui honos ab illo egregie exercitus, nomen gratae famae & posteris dicavit. Hujus beneficio debemus Annalium ab initio Frisiae gentis adusque suam aetatem libros viginti: Historiarum seu rerum sub Philippo secundo gestarum opus singulare; cujus priora volumina ut publici juris fecit, principes literarum Grotius, Heinsius, Pontanus, Scriverius, curatissimis eum praeconiis extulerunt. Etiam Strada Romanus, licet causae Belgarum hostis, saepe eundem cum honore appellavit. Nam citra assentationem dicam, nihil simile post Thuanum me legisse memini, seu fides, prudentia, ac ingenua libertas, sive o-

rationis elegans ſimplicitas, & perſpicua brevitas ſpectetur; ut alios temeritatis poenitere debeat, qui ab his omnibus imparati hiſtorias ſcribere moliuntur. Sed iidem Patres non modo ob ſpem, ſed fiduciam, quam de illo conceperant, Academiae ſuae adgregaverunt, ut hiſtoriam & Romani ſermonis eloquentiam profiteretur. Quae omnia animi rara moderatione complexus eſt, atque ipſa diſſimulatione famae famam auxit: quamvis in docendo ſummum ingenium, facundiam ſingularem, in dicendo ardorem, & in civilibus prudentiam cuncti admirarentur. Extant orationes, quibus memoriam clarorum virorum longiſſimam effecit. Ejuſdem Syrius, & Amores, ac funebria epigrammata tabulis ad Martini ſuſpenſa, in honorem carminum leguntur. Ex his datur in-

tel-

telligi, per quos viros res noſtrae & partae & auctae ſint: quanquam labente diſciplina, ſaepius ire coeperint praecipites; donec ad haec tempora perventum, quibus liberalis docentium eruditio, & ingens ingenuae juventutis confluxus, aliquam ſpondent aeternitatem. Horum pleroſque, quantum licet, in curia noſtra cupide ſpectamus. Natura quippe trahimur ad ſimulacra & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora ſive hoſpitia, quibus coeleſtis ſe animus incluſit. Verum ex tot millibus ſtudioſorum, quos prior tulit aetas, & hic locus eduxit, praeclara reperio nomina, quae piaculum ſit ſilentio tranſmiſiſſe. Mihi nupere faſtos Academiae, fallere neſcios, curatius verſanti, occurrebant Samuel Petitus, Daniel Heinſius, Nicolaus Bangius, Gulielmus Canterus,

Benedictus Turretinus, & David Gorlaeus. Altero die revisens opus, legebam Cunaeum, Episcopium, Lansbergios, l' Empereur, Grasswinckelium & Mellinum. Ut deinceps respiravi, ecce iterum praestringunt oculos Renatus Cartesius, Johannes Jonstonus, Gulielmus Perkinsius, Jacobus Gersovius & Henricus Schicardus. Atque hi, ad capiendum bonae mentis cultum, sola Academiae celebritate exciti, posthac fuere urbium suarum & orbis lumina; qui per Belgicam & dissita regionum sparsi, novas doctrinae colonias duxerunt; qui pulcherrimis & in perpetua hominum memoria duraturis ingenii monumentis, in omni scientiarum genere nihil inausum reliquerunt; idque adeo fecere, ut cum antiquis lucem ac spiritum reddiderint, novis etiam inventis, ad quae priorum industria

nunquam penetraverat, ſuus conſtet honos; pro tam ubere beneficiorum multitudine, cogamur omnes meritas gratias dicere ac habere. Hoc eſt illud patriae donum, Auditores, cujus ortus proceſſuſque ſpectavimus; hoc virtutis ac doctrinae ſacrarium, unde in rempub. & eccleſiam copioſi fructus derivantur; hoc denique excellens privilegium, quod nec dare poteſt nec eripere fortuna. Multi olim querebantur de ademptione immunitatum, quae huic loco ampliſſimae contigerunt. Sed multi non didicerant prius quid ſit vivere, quam ut ſuis moribus viverent. Plurimi in culpa fuere, cur innocui etiam intra girum compulſi, quia reverenter uti libertate neſciebant. Nunc immunitatibus reductis, quae ob temporum calamitates (quibus eluendis totus Friſiorum fundus vix ſuffecit) per

tredecim annos obſcura ſpe ſuſpenſae pendebant, nullus color praetexi poteſt, cur dignatione ſtudioſorum, cur non potius neglectae plebis portio cenſeantur, qui ſolennem profitendi nominis morem adſpernabuntur. Nunc juventus pro ſua ingenuitate, nunc omnes nova animati munificentia, novum afferent in literas ardorem, novum in ſtudia impetum, ne ſegniores in capiundis beneficiis, quam Patres in largiendis videantur. Quod olim tantum carmen Amphioni? quae tanta plectro fidibuſque dulcedo? quam ſecuta quondam ſaxa perhibentur, ut ducentibus ſubvecta modulis, & ad intervalla carminum reſiſtentia, ſponte murum velut arte conſtruerent. Quanta item in hoc Illuſtrium Ordinum affectu ineſt ad animorum impetus effectuſque rerum ciendos vis ac permotio? Quoties

ties hunc etiam locum, hos parietes circumſpicio, diſcuſſa ſenectute recaleſcere videntur, & viva voce grates dicere. Ita ſemper faciatis, nec unquam in hoc opere aut animus veſter, aut fortuna laſſetur; & neſciat incitata ſemel ſtare liberalitas, cujus pulchritudinem crebrior uſus commendat. Vobis tot nobiles ſenatorii ordinis viri, cives & ſubditi hujus provinciae, parentes & liberi, ac tot vicinarum gentium advenae aſſurgunt. Denique nos ipſos vobis, qui cum imperio eſtis, magnanime Princeps, inclyti Proceres, & magnifici Academiae Curatores, merito ſiſtimus, ac quod unum noſtrae opis eſt, inter tot fauſta gratantium omina, tot applauſus publicos, etiam gratabundi acclamamus: FELICITER VESTRAE GVBERNATIONI, FELICITER PACI, ET QVAM

TANTOPERE AVCTVM ITIS, GLORIAE LITERARIAE FELICITER. Mihi quoque feliciter contigit, quod eo dignatus honore, ut primus renascenti Academiae praeficerer; cui nos totos dedere, ac consecrare debemus. Nostrum est opera tueri facta, instare, perseverare, & officiis naviter defungi. Efficiemus ut tantum quisque fecisse videatur, quantum accepit; & vos ipsi incertum faciatis, utrum magis expediat Professoribus, debere vobis an, praestitisse. In habenda quoque gratia repromittimus, neque in consiliis de Academia capiendis industriam, neque in periculis ab ea propulsandis animum, neque in sententiis ferendis fidem, neque in vestris commodis augendis benevolentiam defuturam. Atque haec cura erit infixa nobis sempiterna, ut dignissimi iis sedibus videamur,

deamur, quae proferendis optimarum artium studiis tam sollicite destinantur. Te autem, regnator omnium aeterne Deus, Deus exercituum & legionum, immortalis, invisibilis, cui soli competit honor & gloria in secula seculorum: a quo est omnis potestas in coelo & in terra, qui unus vere audis Deus Optimus Maximus: qui pro imperscrutabili altitudine tuorum, quae attoniti omnes suspicimus, consiliorum, sceptra distribuis gentibus: cui quicquid est usquam Regum & Principum de via decedunt, & de curribus auratis adoraturi desiliunt; nec fasces modo securesque, sed capita ipsa & colla, ut summo suo Regi submittunt: supplex nunc ego, indignus licet servus tuus, & filius ancillae tuae, ad augustum majestatis tuae solium prostratus, posco ac rogo, ut Foederatae Belgicae

Provincias, Europaei Orbis miraculum, velut pupillam oculi tui foveas, conserves, & terra marique splendidissimum potentiae & gloriae tuae theatrum, ac invictum libertatis simul & religionis asylum esse jubeas. Tuere illustrissimos septem nationum, inque his inclytae Frisiae Ordines, & horum salubria faxis consilia, bene ordinatum imperium, animos invictos. Ac sicut, Maxime Deus, frementis circa nos, tumultuantisque Oceani impetum ac spumam, exigua arena & levi obice obiecto, frenas: ita siste hostium florentibus terris nostris, & tuae minantium Zyoni tentamenta. Quin supplico, Domine, ut hanc Academiam, scientiarum & artium matrem, beneficiis tuis augeas, protegas, defendas: ut Ecclesia, in plenitudine temporum redempta, sub olivetis suis molliter quiescat, nec un-

unquam salutaris Filii tui doctrina erroribus implicetur: ut emissa ex his sedibus ingenia, virtutum omnium proventu instructa, patriae suae sanctissimos cives praestare possint ac exhibere, nostramque adeo pacem egregio & imitando secuturis seculis exemplo confirmare: ut denique per Celsissimum Nassaviae Principem, adspirante vivido gratiae tuae sensu, sit perpetuum beata, sit florens, & devota numini Prophetarum Schola; neve unquam hostilibus armis, aliave calamitate, aut, quod bello tetrius, mersa vitiis suis pessum detur. Tuum beneficium est, Domine, quod in hoc illustrissimo consessu, Ecclesia, Repub. Academia salvis tibi seculare carmen, tibi seculares laudes, quin potius immortales dicere hodierna luce possimus. Patere, ut sanctissimi Regum verbis heic te

conveniam, triune Deus. A Iehova eſt hoc, eſtque mirabile in oculis noſtris. Haec eſt ipſa dies, quam effecit Iehova: exultemus & lætemur in ea. Obſecro Iehova, ſerva nunc; obſecro Iehova, proſpera nunc. Benedictus eſt, qui venit in nomine Iehovae; benedicimus vobis e domo Iehovae. Faxis denique, o ſupreme munerarie, ut decurſo legitime operarum ſpacio, tibi ſoli obnoxii, affixi, conſecrati, ſalutem in te ſolo quæramus, per te ſolum non præſenti tantum felicitate, ſed etiam perennatura beatitudine in omnem ſeculorum aeternitatem donemur.

D I X I.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ,

QVOD SVPERIORIS

SECVLI ANNO QVINTO ET OCTVAGESIMO, SVB INITIVM ACADEMIAE INAVGVRANDAE, A PRAEFECTO FRISIAE, ET ORDINVM EIVSDEM DELEGATIS FVIT PVBLICATVM.


Ex musæo

N. B. H. G. E. L. P. H. T. R. M.



GVLIELMVS LVDOVICVS,

COMES NASSAVIAE, CATZENELLE-
BOGE, VIANDEN, DIETZ, ETC.
PRAEFECTVS FRISIAE, ET OR-
DINVM EIVSDEM DELEGA-
TI, SINGVLIS ET VNI-
VERSIS SALVTEM.



Um magiſtratus divinitus mandati officium ex verbo divino, Patriæ neceſſitatem, uſum dignitatemque experiendo pernorimus & ſedulo curemus, cumque ea inter ſe undique conferimus: cum veterum inſuper circa hanc curam ſapientium & prudentium, qui Reſp. adminiſtrarunt inſti-

ſtituta: illuſtria denique omnium Regionum, Provinciarum, adeoque vicinarum (quotquot ſuis vel Principibus, vel Magiſtratibus parent) exempla nobis ob oculos ponimus, in Rep. bene conſtituenda, non ſolum belli paciſque, id eſt, Juſtitiæ adminiſtrationem publicam nobis impoſitam arbitramur, ſed Religionem ipſam, quæ circa pietatem, non tractandam, at tutandam & prorogandam; & ſcholas, utriuſque ſeminarium, quæ circa ingenii animique cultum, morum civilitatem & honeſtatem verſantur, tempore quamvis adverſiſſimo & occupato, at libere & neceſſario curandas, tandem etiam nobis, nimium diu, nec ſine iniuria totius Reip. hactenus temporum iniquitate neglectas judicavimus, ſententiiſque ſalutaribus conſtituimus, & nuperrimis procerum Ordinumque comitiis,

vo-

votis consentientibus decrevimus: Ut ne pro Patriæ tantum solo, proque focis, sed pro aris, pro Religione, pro Justitia & libertate, pro liberis liberorumque recta & pia institutione: pro virtute, pietate, literis dimicare, videremur. Ita enim Remp. existimamus fore absolutam & beatam, si & per se foret, firma, quod bello necessario & communi geritur, ampliusque curabitur: & Ecclesiæ fidum sit hospitium, & literarum dulcissima nutrix. Ipsique Reip. vicissim Ecclesia ad eum se insinuet modum, ut mutuo coalescat, & tota una evadat: Scholæ item sint utriusque, alumnæ pariter & altrices. Magnum etenim ex his ornamentum & præsidium publice: unde qui Remp. domi, foris, belli pacisque tempore gubernent, qui Ecclesiam cum fructu administrent, prodeunt. Plurimum hinc & mo-

menti & adiumenti, ſingulis ad felicitatem, tranquillitatem, & laudem, in quocunque vitæ genere constituendo degendoque adferetur. Itaque Franekeræ non ignobili Friſiorum, ſane luculento, peramæno & ſalubri oppido, Gymnaſium literarum publicum, publicæ utilitati, toti Friſiorum pubi ingenuæ & literariæ deſtinavimus; cuius tamen uſum exteris omnibus publicum volumus: Vt hoc ceu præſidium in meditullio Patriæ incolant & tueantur, ipſæque Muſæ à Marte limenarcha undique abſint & tutæ & defenſæ. Nec ſumptibus, qui vel ad neceſſitatem, vel decus publicum & patrium pertinebunt, parcendum duximus. Quin ut cæteras Reip. partes, ita hanc ſuis dotavimus ex publico reditibus, & jure firmabimus ſuo, quo ſartam tectamque præſtemus. Quæ enim majores noſtri

ſacris dedicata voluerunt, ex iiſdem ſtudia docentium & diſcentium, quæ Reip. & Eccleſiæ rite conſecrabuntur, merito ornanda arbitrati ſumus. Profeſſiones præcipuarum facultatum, Theologiæ, Juris, & Medicinæ, Linguarum trium & Artium liberalium inſtituimus. Et in ſingulas earum Profeſſores, viros doctrina & pietate præſtantes vocavimus, præmiiſque honeſtis ornavimus. Quos omnes diligentiam & fidem, ad eam, qua in docendo verſati ſunt, peritiam & methodum adhibituros confidimus. Nec ſolis prælectionibus officium hi omnes defungentur: ſed diſputationibus, declamationibus, examinationibus, cæteriſque exercitiis partes ſuas obibunt; ut diſcipulos reddant ipſos quam exercitatiſſimos, & ſibi Reique pub. officii, beneficiique omnis præſtatione obligatiſſimos. Quot-

quot ex ſtudioſis nobilioribus & ditioribus huc ſtudiorum ergo acceſſerunt, par iis publice, habebitur (præter privilegia) quæ Patriæ cultoribus gratia, quæ iis qui patriæ militarint, aut militent, legationes, functioneſve pro ea obierint, obeantve. Eritque in poſterum ſtudium & cura nobis, illos ad publica munia promovendi, pro cujuſque dignitate, præſtantia & meritis. Pauperioribus, qui & ingenio, & animo ingenuitatem præ ſe ferent, ne quid in publica liberalitate deeſſet, ipſive tenuitate ſua, vel à nobis, vel à fortuna, aut Patria deſertos ſe querantur, Collegium conſtituimus, in quo gratis in publicum uſum & ſalutem alentur: quos Reip. alumnos eidem addictos volumus, & Deo volente, amplius hic providebimus, ut cæteris tam exteris, quam noſtratibus, quibus fortuna eſt mediocris,

aut parcior, quam ut de ſuo victi-
tantes otia literarum perſequantur,
aliud ſit Collegium Annonarium, in
quo moderatior ipſis erit annona,
quam ex ærario pro parte levabimus,
ipſis æquam partem huic conferenti-
bus, ut par ſit concertandi nobilio-
ribus fortunatioribuſque & tenuio-
ribus inter ipſos occaſio & poteſtas,
utri de Rep. aut Eccleſia melius me-
reantur, illis familiæ fortunæque,
dignitate, Patriæ gratia & amore,
his publico beneficio animum & cal-
car addente: popularibus item noſ-
tris & extraneis ingenuitate præditis
inter ipſos. quo, ſuo utrique loco
Friſiam hi ſuam, noſtramque, quiſ-
que Patriam ſtudioſe exornent & il-
luſtrent. Hæc prima curricula noſ-
tratibus ſunto, primaque in quibus
Reip. militent caſtra, volumus cu-
pimuſque: Nec erit ut ad exteros,
quod novitatis partim, partim ne-

ceſſitate hactenus factitatum eſt, in Patriæ quæ produxit, parentum qui legarunt, ipſorumque qui Patriam præpropere, moribus inculti fugiunt, præſens dedecus & opprobrium, abire cogamini; ne re veſtra diſſipata, ſpe parentum decepta, aut literis inaniores, aut literati, ſed exhauſti, foro curiæque noxii redieritis. Hic tyrociniis depoſitis facultatem damus exteras Academias inviſendi, perluſtrandique. Quin domi potius efformati, honores Academicos qui ſtudiis abſolutis convenerint, Auctoribus veſtris debete: Patriæ, parentibus, amicis præſentibus avidiſque approbate. Hancque ſtudiorum & probitatis laudem ad exteros adferte, & circumquaque ferte, ut peregrinationi veſtræ non minori ſint uſui, quam ornamento: eaque cum iis quæ aliunde petenda videbuntur,

ex-

experientia, linguarum, morumque elegantia commutate, ut ne illuc aſymboloi hinc aufugiſſe, nec huc novi illinc rediiſſe, videamini. Amphitheatrum ingreſſi ex his carceribus ad illas dimiſſi -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- novi vobis ſint carceres, unde ad has metas curſum ſtudiorum reflectatis. Perfectis hunc in uſum veſtrum, conſtructiſque Auditoriis luculentis: Profeſſoribus item, pro magna parte qui vocati erant, præſentibus, utriſque vobis, dum profeſſiones expleamus, Academiæ primitiis, ea, quod fœlix & fauſtum ſit, ad commodum publicum concedere poſſidenda viſum eſt, ad diem XXIX Julij; ad quem & hoc programmate diſcipulos evocare & elicere voluimus, ut huc ſe lubentes ſiſtant; & ſtudia utrorumque, cœptaque noſtra, quæ uno Academiæ nomine complectimur,

 cum

cum solemni nominis Divini invocatione, piaque ceremonia, non Palladi aut Musis, sed CHRISTO & ECCLESIAE publice dedicabimus. Quamobrem hortamur & rogamus omnes, quibus Patriæ literarumque decus & salus cordi est, viros nobiles, claros, cives honestos, doctos, pios, studiosos; ut ad præstitutam diem Franekeram adsint: & sua præsentia, favore, precibus, actionem hanc, administrationemque publicam, ratam, sanctamque velint: & his auspiciis Academicis, uti salva & salutaria sint, annuant, aspirent, porroque & perpetuum faveant. Quo nec nobis, nec ipsi Reipub. officium aliud à vobis reddi potest gratius. Franekeræ M. D. LXXXV. XV JULII.

F I N I S.

ORATIO
D. ABELI FRANCKENA,
Illust. Ordinum Frisiae Deputati,

eorundem nomine habita in auditorio Theologico, XXIX Julii anno MDLXXXV.

De consilio institutae ab iisdem Academiae Franequeranae.

ORATIO

D. ABELI FRANCKENA,

Illust. Ordinum Frisiae
Deputati,

eorundem nomine habita in auditorio
Theologico, XXIX Julii
anno MDLXXXV.

De consilio instituendae ab iisdem Academiae
Franequeranae.



N restituenda religione constituendaque Ecclesia & Rep. Christiana, doctissimi viri, omnium confessione primum est & summum Juventutis institutio: quae & ad propagationem & ad perpetuitatem tum Ecclesiarum, tum Rerump. quasi quoddam seminarium non solum multorum doctorum scriptis ac sermonibus, sed & publico omnis humanitatis consensu ac populari pene proverbio celebrata fuit. Et sicut haec princeps est cura piorum Magistratuum, ut statim sub ipsis, ac simul cum ipsis renascentis Euangelii & reflorescentis Reip. initiis erudiendae pietati, propagandæque Religioni aperiantur Scholae publicae: sic & Ordines Frisiae in hoc omni studio atque ope toti fuere, quam primum per tyrannidem ac temporum iniquitatem licuit, ut pulsis profligatisque crassae ignorantiae, atque impiae superstitionis densissimis tenebris, praeter minores ac triviales oppidatim vicatimque apertos literarum

ludos, tandem etiam publicam aliquam & pro modo facultatum prae caeteris celebrem Academiam in hac Provincia erigerent, eamque evocatis undique eximiis doctrina & pietate viris ac Doctoribus quam maxime exornatam, Christo ejusque populo veluti templum quoddam dedicarent. Quam quidem ad rem quum circunspicerent, qui insignibus morum doctrinaeque dotibus huic tam piae suae curae & voluntati satisfacere possent, existimatione nominis vestri, viri Ornatissimi, quam de dotibus vestris partim ipsi habuere, partim ab aliis fide dignis hominibus accepere, ad vos magno consensu ac spe plena ire visum est. Sperant enim ac confidunt plane vos pro vestra pietate, industria & vigilantia, dona, quae in vobis sunt, ita pro se quemque excitaturos, publicoque commodo impensuros esse, ut & juventus hic nostra vobis docentibus ingenii fructum, morumque cultum accipiat; & parentes, dum felicem liberorum profectum videbunt, impensae atque operae suae pretium se fecisse intelligant, vos ipsi ad usum atque captum discentium potius, quam ad ostentationem ingenii & eruditionis vestrae docendo veram & justam laudem citra ambitionem ac publicam injuriam consequamini. Neque vero dubi-

tant

tant quin Deus Opt. Max. pro suo in Ecclesiam populumque suum amore huic voto ac desiderio, quod in animis eorum ipse haud dubie accendit, numine quoque suo, coelestique favore ac gratia sit adfuturus. Vobis etiam, viri doctissimi & optimi, qui vocationi suae non defuistis, sed primum assensu vestro, ac deinde adventu ad nos, tum etiam in capessenda provincia suscepta promptitudine satis eam approbastis, gratias agunt, habentque maximas: daturi vicissim operam ne in suis promissis ac piis officiis (modo salvam ex hisce bellorum tempestatibus praestet Remp. Dominus omnipotens) quicquam merito desideretis. Et quia divino beneficio jam omnia sunt ab Ordinibus ita comparata, atque instructa, ne vobis ad officium properantibus in mora posthac esse possint, quin, quod Deus cum bono publico, ad nominis sui aeterni gloriam aeternam, bene vertat, operi suscepto feliciter admovere manum possitis, & hic dies vobis in Academiam hanc nostram introducendis dicatus fuit, ut jam hinc inde felix faustumque professionum initium fiat; deesse Ordines instituto suo ac studiosæ pubis honestissimo, exspectationi longiori mora noluerunt. Vosque tandem in possessionem provinciae, murerisque

que vestri per haec mittunt. Vobis in hac sua Academia legendi, docendi & propagandi omnia pietatis & honestatis studia pro vestra cuique professione copiam faciunt, plenamque facultatem concedunt ac tribuunt. Interea quo recte atque ordine fiant omnia, cum Reip. quamplurimum intersit, ut inter doctores tam Scholarum, quam Ecclesiarum mutuus sit consensus & concordia, maxime in Religione, ubi idem loqui & idem sentire omnes vult Apostolus, vestrum fuerit, Ornatissimi viri, pio inter vos animorum consensu, & sancta quadam conspiratione (praesertim in hac & pro hac sanctissima causa Religionis, in cujus exitium universas omnium tyrannorum & malorum daemonum iras, vires, atque copias conspirasse videtis) quasi collatis viribus in communes hostes fortiter dimicare, & quam quisque vestrum stationem ingressus fuerit, eam ceu Spartam suam ita tueri, & propugnare, ut & Deo summo Imperatori opera vestra strenue navata probetur, & Ordinum ipsorum & bonorum omnium de vobis exspectationi, fide ac diligentia vestra satisfiat: & studiosa juventus Frisica, & si qua huc accedet, doctrinae ac pietatis amore jam pridem accensa,

sanc-

ſanctorum morum & felicium ingeniorum fructus quam uberrimos percipere queat. Id quo facilius fiat, ſitque inter docentes ac diſcentes & operarum & animorum juſta concordia, & conſonans quaedam tradendae recipiendaeque ſapientiae velut harmonia, veſtri quoque muneris erit, ſtudioſi Juvenes, in hoc ſtudiorum curriculo ita verſari, ut ad diſcendum animos adferatis non doctrinae modo, ſed & Doctorum ipſorum amantes: & memineritis, ſi eos vobis ſanctorum parentum loco, ſicuti par eſt, amandos, imitandos, ac venerandos eſſe judicabitis, jam vobis ad verum profectum & calcar acerrimum additum; & viam quam paratisſimam, expeditisſimamque ſtratam ac munitam fore.

D I X I.

 Ad



Ad hanc orationem

HENRICVS ANTONII NERDENVS,

Theologiae Professor, suo & collegarum nomine, respondit hisce verbis.

ILLVSTRISSIME Comes, Generosissime Domine Praefecte; Nobilissimi, Amplissimi, integerrimi viri Illustrium Ordinum Frisiae Delegati, Domini benigni, omni observantia colendi; pietatem, liberalitatem, prudentiam, studium & curam in hac necessaria & salutari doctae pietatis Schola instituenda a vobis praestita & hactenus non laevis oculis perspeximus, & modo summa cum animi voluptate coram audimus & intuemur, parcius nunc praedicamus, quia tantae virtutes pleniorem orationem merito requirunt, & satis perpendimus earum laudes vobis praesentibus dictas, minus gratas pro vestra modestia futuras.

Hoc

Hoc unum dicimus: Hac in re a vobis esse praestitum, quod ad officium optimorum Patriae patrum maxime pertineat; & cujus nomine immortales gratiae ab omni hominum genere vobis debeantur, quodque summo Deo valde sit acceptum. Precamur eum, uti vos suis summis donis magis ac magis accumulet & ornet, præsidioque tueatur; nec dubitamus quin ille pro sua liberalitate has vestras virtutes luculente sit remuneraturus, ut earum fructus ad vos privatim & ad totam publice patriam exundent quam uberrime; omnes vero boni, & tota posteritas, quid vobis debeant, non coacti sint agnituri; nos certe intelligimus, aliisque ut videant auctores esse non desinemus. Quamvis autem libenter agnoscamus deesse nobis ea dona, quibus Spartam nostram pro dignitate, & vitam ex ejus spectatione ornemus; quoniam tamen a vobis, pietate, doctrina & judicio praestantibus viris, ad eam sumus vocati; vestram voluntatem & judicium, ipsius Dei esse vocationem non dubitamus; agimusque pro eo de nobis judicio, candore & benevolentia, vobis gratias. Conabimur vocationem nostram fidelitate & diligentia

 orna-

ornare, ut quod deerit, non voluntati, ſed facultati defuiſſe intelligatur: quod ad rem ſtetur, veſtras omniumque piorum preces obnixe flagitamus, nec amicorum candidas admonitiones ſumus averſaturi. De veſtra autem porro in nos & hanc Scholam praeſtanda benevolentia ut non dubitamus, ita ut pia voluntate & ſtudio contenti ſitis oramus; idque futurum, de veſtro nobis candore promittimus. Et quoniam laboris noſtri initium nunc fieri voluiſtis, quod felix fauſtumque ſit, id facimus. Dominus Ieſus, ſummus noſter praeceptor, ſui ſpiritus donis nos & noſtros auditores ſic inſtruat, ut labores noſtri ſibi honorifici, Eccleſiae ſuae, totique Reip. ſint ſalutares. Sic cupimus, ſic precamur.



OP HET PANEGYRIS,

Of Openbaar

VREUGDEN EEUW,

Van de vermaarde Academie tot FRANEKER, die den XXIX Julii MDLXXXV is ingewijt; en nu naa verloop van een Eeuw, op den XXIV September MDCLXXXV, gedagtenis wort gehouden.

ALS MEDE

Aan de Hoog en Doorgeleerde Heer,

Mijn Heer

NICOLAUS BLANCARDUS,

Historischrijver van de Doorlugtige Heeren Staten des Graaflijkheyts van Zeeland, Hoog-leer-meester der Griekfche Historien en Taal, &c. Ouste Professor in d' Unieerde Provincien, en eerste Rector Magnificus van de twede Eeuw.



Aat vry de snege Frank, en 't deftig Spangien
pralen,
De schrandre Britt, als ook den dappren
Italiaan.
Laat Duytsland met er glans de wereld overstralen,
En Holland flonkren als een nieuw ontwolkte Maan.

Laat dese pronken met geleerden in haar Rijken
Op gulde Zetel-pragt; 't beroemde Friesen-land
Hoeft met haar Hoge-school voor geen van dien te wijken,
Want haar besaemd gerugt bromt uytaan alle kant.

Hoe heerlijk heeft gebloeyd dien sitstoel aller wijsen,
Waar Gods-geleertheydt op de eerste Eertrans sat;
Waar Themis mild'lijck deed haar koesterlingen spijsen:
Terwijl de Heelkonst schonk sijn kostelijke schatt.

Wat oppermeesters sijn aan d' eerste tijd verscheenen?
Wat ligten blonken doen Vorst Ludwigs stalen kling
De vrije Fries bevrijd'? wat Sonnen sijn verdweenen,
Wiens ondergang als doen bragt veel verandering.

Daar nu dien Blancard komt dien lof-cruyn op te streven
Met arends wieken, nu de twede Eeuw begind,
Die door sijn yver doet Demosthenes herleeven,
En waar het mensdom weer een Cicero in vind.

Daar van tuygd Arriaan, die Alexanders daden
Ten top punt voerd; die gy, O grote Redenaar,
Door uw besneden schagt griefd in vergode bladen,
En brengt d' onsterflijkheyt sijns naams in 't openbaar.

Wat

Wat Griek heeft ooyt geleeft, of wonder der Latijnen,
Die gy niet hebt doorsnuft, en in het ligt gebragt?
Wat luyster hebt gy niet als een Apol doen schijnen
Op Casimir, die als een Cæsar werd geagt.

Gy wijt dan heylig in voor 't oog der Tabbert-scharen
Het vrolijk Eeuw-gety, waar dat de Lauwer-kroon
Als overwinnende bepruykt uw silvre hairen,
(Heer Nicolaes) wijl gy beklimt de Eere-Throon.

Daar g' op het konst-slot, en 't cieraad der moed'ge Friesen
Als Hoge-leeraar mee voor lang sijt ingehuld.
Daar g' op het kleyn Atheen elk 't grootste doet verkiesen,
Wyl 't met een overvloed van kennis is vervuld.

Daar g' door uw lof-reen, en vertoog schaft honigraten,
En 't luysterende-rot een lekker oor-bankett;
Daar g' schenkt een mond-kost aan de greetge Letter-vraten,
Die gy hebt aan de diss van uw Parnas geset.

Waar de Catones, en de Bezaas 't all belonken,
Waar Balden swieren, en Galenen besig zijn.
Waar Aristotelen staan in 'er rang geklonken,
Wijl yder van hun smaakt der Goden Nectar-wijn.

Daar wijſe Senecaas ſlaan met haar engle tongen
De vreugde-galmen uyt, wijl van het negen tal
Het blijde feeſt-lied wert door choor-maat op geſongen,
Waar onder ik mijn lier op 't ſoetſte ſtellen ſal.

Die ſchoon geen Hemel-trant doet uyt haar tonen vloeyen
Maar pligtswijs voor uw kweeld, met wenſing dat voortaan
't Roem rugtbre Boek-paleys met uw in heyl mag groeyen,
En op het metſelwerk van Sions Bouw-heer ſtaan.

TITIA BRONGERSMA.



ENCAENIA ACADEMICA,

Felicibus Divini Numinis auspiciis,

Ab Illustr. & Præpot.

FRISIAE ORDINIBUS,

Nec non

Celsiss. Nassaviorum Principe,

HENRICO CASIMIRO,

Hæreditario Frisiorum Gubernatore, & summo Militiæ Praefecto, &c. &c. Academiæ Curatore Magnificentissimo, uti & Potentt. Patriæ Patrum delegatis Novemviris, & Magnificis Curatoribus Quatuor-viris, Senatuque Academico & Nobilium Eruditorumque Virorum panegyri.

Celebrata VIII *Cal. Octobreis*, MDCLXXXV.

DIrigit humanam Divina potentia sortem,
Et Fati prudentis opus mortalia lege
Fixa tenet; constans disponit fœdera Mundi
Numen, nec cœcâ volvit caligine casus
Omnia, quò dubio decurrant secula fluxu.

Hoc ſolis lunæque viæ, cœlique meatus;
Hoc ſtabilis terræ motus, pelagique recurſus;
Hoc lucis noctiſque vices, annique fluentis
Tempora, quæ certis abeunt redeuntque viciſſim
Legibus, oſtendunt. Quin & ſapiente reguntur
Res hominum Rectore Deo, qui lentus ad iram
Dum venit, hoſtiles armans in prælia dextras,
Permittit charæ ſævire in viſcera gentis.
Ipſaque Relligio pedibus ſubjecta Potentum
Luget, & horrendis ſqualet vexata Tyrannis,
Heu finem viſura ſui! verum ille ſuorum
Omnipotens vindex hæc facta neſaria turbæ
Juſtus ſacrilegæ duris ulciſcitur iris,
Incolumeſque rapit mediâ de morte fideles.
Friſia teſtis ades: Romana potentia diro
Te diu ſervitio preſſit, menteſque ſceleſto
Subdidit imperio & leges ſervare neſandas
Juraque Divinis fecit contraria juſſis:
Unius heu hominis ſic dependiſtis ab ore!
Vana ſuperſtitio & veterum cultura Deorum
Impia thuricremis placabat marmora flammis,
Vanaque adorabat ſculpti ludibria trunci.
Sed Deus è cœlis ſortem miſeratus iniquam
Diſpellit noſtris obſcuræ nubila noctis

Cor-

Cordibus, & claram facit effulgescere lucem,
Ac partâ Christo dat libertate fruisci.
Relligio sincera redit, pietatis avitæ
Cultores populi ter sanctum pectore Numen
Devoto celebrant; Belgæ, gens libera, Cœlo
Persolvunt justas tanto pro munere grates.
Stat recti studiosus amor; malesana fugatur
Barbaries; dii crescit Sapientia Veri.
Præ reliquis Patrum pietas, & nobilis ardor
Nassovii micuere Ducis; sententia menti
Sancta venit Domino moliri culmina Christo;
Sacra Deo, & doctæ turrita palatia turmæ.
Perpetuò resonent ubi sacri oracula Verbi,
Raraque Naturæ pandant miracula mystæ;
Qualia nec Delphis cortina remugiit antro;
Neve accepta suis referebat Græcia musis.
Non heîc in scenam veniat sceleratus adulter
Jupiter, aut mollis sua carmina fundat Apollo;
Prostibulum sileat Cypri, temulentaque Bacchi
Orgia, dum soli sacrantur limina Jesu
Doctrinæque piæ, summi Sapientia Patris
Quam docuit nostras perfuso lumine mentes.
Nec mora, sacrati surgunt fastigia templi,
Tantæ molis opus! Magnæ conamina curæ

Non belli rabies, trucis aut vis effera fregit
Hoſtis, propitio creſcunt fundamina Cœlo.
Fixa manet fortuna Domus, ſtat certa, ruinam
Nec timet, & centum totos firmata per annos,
Floret, & auguſtum caput inter ſidera tollens
Jam peregrè latis terrarum inclaruit oris.

Hinc, pia Gens, Patriæ Proceres & ſanguine cretus
Heroum Princeps, noſtratis gloria Terræ;
Et reliqui, vigilans queîs eſt commiſſa Lycéi
Friſiadum tutela, Patres, claruſque Senatus,
Induxére animum feſtæ ſolennia pompæ
Indicto celebrare die, grateſque Potenti
Solvere, & æternum feſtivo tollere plauſu
Numen, & excelſæ cantare encomia famæ.

Hæc modò ſacra dies, cœlo deducta ſereno,
Fulget, & arridet depulſis nubibus æther.
Ipſa Dei facilem ſeſe clementia præbet,
Applauditque novis conceſſâ pace triumphis.
Gratanti reſonat gaviſa Academia voce,
Auguſtumque vehit Domini ſuper æthera nomen,
Florenteſque vovet longæva in ſecula luces.
Concordes agitant juvenes per carmina linguas,
Ingeminant laudes & grati jubila cantus,
Publica dum ſpectant hilares ſpectacula cives,

Certatim celebrant variis nova gaudia ſignis.
Lætitiâ ludiſque viæ, latéque faventûm
Urbs reboat ſtudiis, vici clamore reſultant.
Illis nocturnus diffundit cereus ignes,
Lætanturque alii funalibus ordine ſtructis.
Sulphureos volitare globos, ignitaque paſſim
Fulmine diſparſo videas diſcurrere tela;
Gratum pacis opus, feſtique inſignia ludi.
Ipſaque, quæ validas incenſo pulvere turres
Disjicit, & ſternit cataphractas machina turmas,
Immemor irarum, lætis ferit aëra bombis,
Innocuas patulo diſpargens ore favillas.
Non tamen heic videas Magnæ Megaleſia Matri
Acta Deûm, nec quos, gens ingenioſa, Quirites
Juſſerunt, redeant in ſecula ſingula, Ludos;
Furvaque nec Diti mactatur victima Patri,
Nec ſe delectat cœſo Proſerpina tauro:
Neve, uti Romanos olim moderante Philippo,
Gætula in ſcenam turrito bellua prodit
Tergore, non alces, nec ſævæ in prælia tigres,
Nec quos progenuit torvos Maſſyla leones,
Neve leopardi, nec turpes corpus hyænæ,
Non equus è fluvio, nec qui de nare minatur
Rhinoceros cornu, aut ſylvis nutritus onager;

Non ſylveſter equus, nec gibbus terga camelus:
Non gladiatores ſtricto mucrone feroces:
Mitia delectant lenes ſpectacula Belgas.
Nos, ter Magne Deûm, pateris libamus & auro,
Dum pia pro Patriæ facimus Tibi vota ſalute.
Vivant Magnates! Vivat Caſimirus & altæ
Progenies generoſa Domûs! & Nobilis omnis
Floreat! ac noſtris ſit felix incola terris!
Ter fauſto vigeat florens Academia ſtatu!
Urbes, rura, domus longævâ pace beentur!
Inculpata fides & cani reverentia Juſti,
Et quæ difficiles clementia temperat iras,
Et virtus animoſa pati, Patriæque cupido,
Relligionis amor, rectrix prudentia vitæ,
Et pietas fixas teneant in pectore ſedes
Friſiadum, & noſtræ moderentur munia vitæ!
Tum licet hæc nullus ſpectacula viderit antè,
Nec viſurus erit, melioris gaudia pompæ
Cœleſtes animos inter ſpectator obibit.

Debiti officii & honoris ergò Sacris
Secularibus feſtinâ dicavit venâ

J. SCHOTANUS.

Votum



Votum Neuhusianum

Super

JUBILAEUM ACADEMIAE FRANEKERENSIS;

Oblatum

Celsissimo ac Illustrissimo Principi,

WILHELMO GEORGIO FRISONI,

Principi Nassoviorum, Comiti Catznelebogen, Vianden, Dietz, Spiegelberg &c. Baroni in Liesvelt &c.

Paternarum virtutum, dignitatum & titulorum suo heredi, ætatis suæ quarto mense
MDCLXXXV.



Ublica Belgarum res centum floruit annos,
Et cum Franagriâ Pallade diva Themis.
Ter centum super adde Deus! quibus intemerata
Stet, sub ter Celso Principe, vera fides.

Frisia Frisoni adsurgas, sceptroque nepotum:
Et rosa Nassovio & lilia conveniant.
Candida Justitiæ sic Pax requiescat in ulnis,
Sacraque conjungat basia sponsa Dei.
Discordes, (Deus avertat) si fœdera rumpant,
Hei mihi! quæ templis imminet umbra sacris.
Fors Christum in stabulis quærent, cæcisque cavernis;
Qui nunc in stabili suscipit æde preces.
Sed vos, nunc mecum Franicæ exultate sorores;
Publica stant tuto Nassoviique loco.
Claudit in extremo hoc vates sua carmina voto,
Post sacrum in cœlo, Christe, Haleluja canet.



SUR LE JUBILE DE L'VNIVERSITE DE FRANEQVER

Celebre

le XXIV Septembre CIϽ IϽC LXXXV.

SONNET.



LEs premiers ecriuains, qui se soient eleuez.
Nous disent qu'au deluge, en cet afreux rauage,
Ou tout le genre humain pensa faire naufrage,
Pyrre, & Deucalion furent seuls conseruez.

Tous ces fameux Auteurs, des mortels aprouuez,
Qui mettent si souuent leurs fables en usages,
Tous, dis-ie, constamment, nous donnent temoignage,
Que c'est sur Helicon, qu'ils se virent sauuez.

En lisant ces ecrits, que l'univers admire,
Chacun comprend assez, qu'ils nous ont voulu dire,
Que les hommes sauans ne perissent jamais.

Celebres Professeurs de cette Academie,
Si cheris des Etats, concluez desormais,
Que cent Siecles entiers la verront affermie.

J. A. TRONCHIN Professeur
D. L. L. F.



WEER-KLINKEND VREUGDE-LIED
opgedeund als de honderd-jaarige inhuldinge

VAN FRIESLANDS

HOOGE SCHOOL

TOT FRANEKER,

geschieden soude den XXIVsten
van Herfst-maand, des MDCLXXXVste
jaars na des Woords Vleesch-wordinge:

ENDE

Een treffelijke reden, daar toe, in des gemelden Academîs Tempel, gedaan worden, door

DEN HOOG-GELEERDEN HEER,

NICOLAUS BLANCARDUS,
Histori-schijver van Seeland; Leeraar der
Griekssche Spraak ende Geschiedenissen in
boven genoemde Atheen van Friesland;
ende aldaar eerste Hoog-regeerder
in des selvs tweede eeuw.

SANG.

IK hoor het snel-gerucht veel vreugde-toonen slaan:
Haar buld'ren tropt, 't si 't tijd van son is, of van maan.
Wat is 'er gaans? Waar komt haar groot geschal van daan?
Wat roept haar schelle keel? Wat klinken haar trompetten?
Is 't niet het Friesch Atheen, (daar hersens hersens wetten)
Waar heen haar schat'ren vliegt; waar heen haar galmen gaan?
'k Weet, Ludwich, die sijn kling in 't Spaansche bloed ging betten,
Op 't Vorst'lijk hoofd gehuld met seege-kransen-bla'en,
En 't Friesche Staatendom (spijt 's viands wrevel-netten)
Bestond voor lang al (om geleerdheid voor te staan)
Een hooge Konsten-school op Frisôs grond te setten.
Daar heeft sich Wijsheid reeds een eeuw lang laaten letten.
Sal nu dat Leer-hov ('t schijnt, de maar-klang wijst 'et aan)
Weer worden in-gewijd? 'k Ben met verlang bela'en:
Ik hoor het snel gerucht veel vreugde-toonen slaan.

TEGEN-SANG.

GEwis: d' inhulding-trant sal dat Atheen beslaan;
Blancard, die schrand're, doen een heerlijk konst-vermaan,
Op 't eer-toneel; op nieuws dat School-perk op-gedaan:
Daar Waeyen, 't Godd'lijk Woord, en Vitringa trompetten;
Wijlt Schelkens wakker bromt de Roomsche Burger-wetten;
En twee Matthæusen van Heel-kund swanger gaan;
Blancard met Hellass Taal, Schotaan het brein koomt betten
Met Philosophen-vocht; terwijl d' Histori-bla'en
Van menig eeuw en oord, dicht in de hersen-netten
Van Perizoon gestuwd, ook elk ten dienste staan:
Daar die haar sinnen op Hebreeusche letters setten,
En 't geen daar buirt, daar toe op Rhenferds woorden letten.
Vergeet Fulleen niet, hi wist Wis-kund-regels aan;
Terwijl Tronchijn belootst der Franschen tongen-laan.
Gewis: d' inhulding-trant sal dat Atheen beslaan.

TOE-SANG.

TSa laat uw' keelen dan verheugde galmen ſlaan;
Juich, juich (ô! Frieſland!) op Blancards geleerd vermaan.
Hier! Jubals kind'ren! wees dit feeſt doch toegedaan;
Wil (bi 't tamboer-geklang, en 't ſchat'ren der trompetten)
De ſtruiſſe ſpeel-boog-pees op vedel-ſnaaren wetten;
En doet de puiſter-wind door d' orgel-pijpen gaan:
Koom, laat uw' tongen vris het dorſtig oor-tal betten
Met liev'lijk lieder-nat. Koom, vlecht gedichten-bla'en;
Wie rijmen lijmen kan, en ſang-woord-kranſjes netten.
Dank, (Frieſen!) dank Naſſauw, wiens deugden vorſt'lijk ſtaan;
En al wie God believt tot hoofden u te ſetten;
Dank haar; dat ſi met vlijt op 's wijsheids wel-vaard letten.
Maar breng den Opper-prins, voor al, uw' danken aan;
Hi heeft ons Land, haar Kerk, en School met heil bela'en.
Tſa laat uw' keelen dan verheugde galmen ſlaan.

NA-SANG.

VErgeet het bidden niet (om verder wel-beſlaan)
Tot God te doen. Seg: Heer, die boven ſon en maan
Uw' hooge ſetel hebt; daar 't alles koomt van daan;
Dien d' Hemel-chooren ſelvs eerbiedig lov-trompetten!
Gi hebt ons Vader-land (ſchoon 't uw heel-heilge wetten
Had wrevelig verſchopt, en 's duivels pad gegaan)
Met ſulken gunſt nochtans genaadig willen betten;
Dat (daar het lag bemold met duiſt're helle-bla'en)
Gi 't goedig hebt verloſt uit Babels grouwel-netten;
En hebt uw' heil'ge Kerk in vridom hier doen ſtaan:
Ook dees doorluchte School, dit wijsheids-kruid-hov ſetten:
En lang ſo ſijn. Dank hebt. Ei! gaat het nooit beletten;
Maar meerd'ren, tot aan 't laaſt. Siet ons mis-doen niet aan.
Het Frieſche volk, van u met ſegen over-la'en.
Vergeet' het bidden niet, om verder wel-beſlaan.

Geſteld door

VITUS RINGERS,
Doct. der Phil. Meeſt. der vr. konſt.
Dien. des G. Woords tot Ried.



ΕΓΚΑΙΝΙΑ

ΤΗΣ ΑΚΑΔΗΜΙΑΣ

περὶ πρυτάνε τῆς Φρισίας

ΕΡΡΙΚΟΥ ΚΑΣΙΜΕΙΡΟΥ,

τῶν Νασσαβίων ἐπιφανεστάτου ἄρχοντος,

καὶ περὶ

Τῶν πρώτων τῶν Φρισίων πεποιημένα ἑβδόμῃ φθίνοντος μαιμακτηριῶνος ᾳ χ' π' ε.

προσαγορεύοντος τοῦ ὀνομαστάτου

ΝΙΚΟΛΑΟΥ ΒΛΑΝΚΑΡΔΟΥ,

τῶν σοφωτάτων καθηγητῶν ἀρχηγοῦ, ἱστορίας καὶ γλώσσης ἑλληνικῆς πρωτοδιδασκάλου, καὶ τῆς Ζηλανδίας ἱστοριογράφου.

ΧΑίρετε μουσάων παῖδες, καὶ ἀείδετε αἶνον,
Οἶνον ἔλαιόν τε μνημοσύνης χέετε.
Ὅτι Ἔφοροι χαρίτων πλήρεις ἐγκαίνι' ἄγουσι,
Στῆκεν Ἀθηναῖον νῦν ἑκατονταετές.
Πρῶτος Νασσόβιος Φρισίων καλὰ σκῆπτρα κρατήσας,
Πατρίδ' ὀϊζυρῇ τεύξατ' ἐλευθερίαν.

Ἔνθα

Ἔνθα πολύκλειστον τέχναις ἠδ' ἤθεσι σεμνοῖς,
    Κτίσε ναὸν, γραμμαῖς καὶ ἀρετῇ ἱερον.
Αὐτόθ' ἀληθείη, εὐαγγελίοιό τε ῥῆμα
    Εἰλικρινὲς ναίει καὶ νομικῶν σοφίη·
Φοιτῶσ' ἰητρῶν παῖδες· πασῶν διαλέκτων
    Βρύει ἐπιστήμη πάντοτε ὠφέλιμος.
Λαμπρὸν ἐκεῖ ἄνδρες περίσημοι φέγγος ἔδωκαν,
    Κοσμοῦντες σπάρτην τῇσι διδασκαλίῃς.
Τοὶ γὰρ λέγουσι, τί γαῖα, τί δ' οὐρανὸς εὐρυόδειος
    Σχῇ, πάντων τε λόγους οἶδασ' ὑπ' ἠελίῳ.
Τῶν ἄρα θεσπέσιον φιλόμουσοι δῶμα ἵκεσθε,
    Εὕρετε εὐμαθίην πολλὰ χαριζόμενοι.
Τὴν Ἐκαδημείην (μάκαρ ὦ 'ναξ κλῦθι) ἄμυνον,
    Θάρσυνόντ' ἄνδρας, ἄρκεε οἰχομένοις.
Γείνατο Νασσόβιος· ζώῃ εὔφημος Ἀθήνῃ,
    Καὶ πατέρων δόξης ἄξιος εὐγενέων.
Ἐρρῖκός τ' ἀγαθαῖς ἐπιβὰς ἐπὶ κληδόσιν ἕδραν,
    Ζῇ κράντωρ πατρίδος καὶ σοφίης θέμεθλον.
Ὡς Ἑκαδημείης ὄνομ' εἴη κυδιανείρης,
    Φράνικα καὶ κόσμου ὡς μέγα κλέος ὅλου.

Συγχαίρων ἔγραψε
ΓΑΙΟΣ ΑΝΔΡΕΟΥ, Ο ΙΑΤΡΟΣ.



ΕΠΑΡΧΗ SAECULARIS
SIVE
MUSA ALTERNANS
PRO
JUBILAEO
SEU

Festo Sæculari, quod Celsissimus Nassaviæ

PRINCEPS,

Illustres Patriæ & Academiæ Proceres, Rector & Senatus populusque Academicus cum incredibili omnium ordinum confluxu & applausu solenniter celebrabant, Franequeræ Frisiorum a. d. VII. Cal. Oct. CIↃ. CIↃ. LXXXV.

Latine & Græce modulatus est

ZACHARIAS HUBER,

LL. & Litt. Studiosus.

FAma tulit pridem, καὶ οὐλύμπονδε βεβήκει,
Venturos Dominos, ὧν τὸ κράτος ἐστὶ μέγιστον,
Quique Scholæ præsunt, μεγάλῳ ξὺν ποιμένι λαῶν
Palladium ad nostrum, τὸ γὰρ καὶ τετελέσθαι ἐρῶμεν.

Quid

Quid facere ? ut Musis faciant κλειτὴν ἑκατόμβην
Et festum curent κούρη Διὸς Αἰγιόχοιο,
Carmina quam celebrant, ἣ Φρανεκέρας ἀνάσσει.
Jam tribus exactis γενεαῖς μερόπων ἀνθρώπων
Centum præterire Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί,
Has postquam sedes ἐκλέξατο δῖα θεάων,
Frisica gens colit heic παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο,
Quam validam αἰχμητὴν ἔθεσεν θεὸς ὕψοθι ναίων.
Libertas adserta manu κλυτὸν οὔνομ' ἔδωκε,
Gloria non minor est, ἣν αὖθις Παλλὰς Ἀθήνη
Contulit in nomen gentis, πόλεας τε καὶ ἐσθλοὺς
Edidit inde viros, ὧν τὸ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
Scilicet his Proceres παρὰ δ' ἀμβρόσιον βάλον εἶδαρ
Augentesque bonis μάλα πίονος ἐξ ἀδύτοιο
Undique contraxere, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες.
Hoc generosi homines κατὰ μὲν φρένα καὶ κατὰ θυμὸν
Servantes laudis studium, πόνον οὐκ ἀτέλεστον
Centum annis posuere, θεὸς δὲ ὁ ἐγγυαλίζει.
Res docet hoc, τὸ δὲ ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι
Egregium in paucis, μέγα τοῦτο δὲ θαῦμα ἰδέσθαι
Quales jam quantique viri περὶ δαίδαλα πάντα
Versati, & docti, καὶ ἐπιστάμενοι σάφα εἰπεῖν,
Palladis hoc ornent τέμενος κατὰ κόσμον ἅπαντες.
Libri hoc εἰς λαμπρὸν missi φάος ἠελίοιο
Declarant, & fama μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύει.
Si videas Proceres, οἳ νῦν τὴν πατρίδα γαῖαν
Consiliis moderantur, αὕτη δ' οὔρανον ἵκεν;
Proh ! nunquam tales ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι.
En adsunt digni πάντων ὑπερέμμεναι ἄλλων,

Princeps Naſſavius δῖος θεοείκελος ἥρως,
Legati Procerum Φρισίων νῦν πολλὸν ἄριστοι,
Et queis cura Scholæ βουληφόροι ἀνέρες ἀρχοὶ,
Floſque Senatorum τοῖς Ζεὺς ἐνεμέσσατο δίκην,
Nummorumque Duces, qui dant μένος ἐν φρεσὶ πάντων.
Multi alii inſignes οὐδ᾽ ἄρ γένος οὐδὲ τὶ ἔργοις
Cedentes reliquis, ἔπεσιν καὶ χηρσὶν ἀρήξειν
Rem patriam prompti, μάλα τ᾽ ἀφνειοί τ᾽ ἀγαθοί τε,
Et tales, queis nullus ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών.
Hi nunc procedunt μεγάλῃ καὶ ἀμύμονι πομπῇ
Ut læti celebrent ἱερῶν ἐγκαίνια Μουσῶν.
Libertas renovata Scholæ, τὴν νὺξ ἐρεβεννὴ
Preſſerat invidiæ, νῦν δ᾽ αὖ μέγα γῆρας ἔδωκαν
Magnanimi Proceres, πάντων προπάροιθε βέβηκεν
Ad ſacras ædes, ὧν Παλλὰς ἶφι ἀνάσσει.
Huc properant audire virum, cui πότνια πειθὼ
Fundere ab ore dedit μέλιτος γλυκερώτερον αὐδήν.
Et tibi dicere vota Πάτερ κύδιστε, μέγιστε,
Qui per centum annos Φρανήκεραν ἀμφιβέβηκας,
Ut quam ſervaſti, Λείδῃ θ᾽ ὁμότιμον ἔθηκας
Hanc augere velis καὶ ἀρόμμεναι ἠδὲ φυτεύειν,
Efferat ut plantas, quæ καρποὺς, φύλλα καὶ ὄζους
Undique producant, quo ſic κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο,
Et quaſi jam renovetur ἐπὶ προτέρων ἀνθρώπων
Nec minus efflorescat ὑπ᾽ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι.
Sic equidem res ſunt, ἡ μὲν φύει ἡδ᾽ ἀπολήγει,
Multa recens prognata θεὸς μεταμώλια θῆκεν.
At mihi ſpes ac omen ἀμείνονες ἐκ διὸς εἰσὶ,
Tu ſaltem dignare πάτερ Ζεὺς εἶναι ἀρωγὸς

Per-

Perpetuoque fave καὶ πᾶσιν κῦδος ὀπάσσαι,
Tam tua qui nobis ἐκθέσφατα μαντεύονται,
Quam quos jussisti θέμιν εὐνομίην τε διδάσκειν.
Sint & Apollinei, sint οἱ σοφίην φιλέουσι,
Et bene dicere amant, πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων.
Sed depelle viros qui μὰψ ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον
Instituunt, & quotquot ὀνειδείους φασὶ μύθους,
Qui fucis similes μέγα πάντων κυδιόωσι,
Qui pacem oderunt καὶ ἐναντίβιον πολεμίζειν
Semper amant. Τόδε πᾶσι φίλον καὶ ἡδὺ γένοιτο.
Sint juvenes procul hinc, οἱ ἀτάσθαλα μηχανόωνται,
Musasque adspernantur ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.
Queis sordet pietas, οἷς σχέτλια ἔργα μέμηλε,
Qui didicere nihil quam μὰψ παρακαίρια ῥέζειν
Præque ferunt κύνεόν τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος.
Huc potius, quibus ἔργα φίλ' ἐστὶ τὰ μέτρια κοσμεῖν,
Qui tantum in studiis κραδίην καὶ θυμὸν ἔχουσι.
Unum hoc qui satagunt, ut νύκτωρ ἠδὲ κατ' ἦμαρ
His faciant sacris μεμνημένοι αἰὲν ἐφετμῆς,
Qui norunt quam sit studiis βλαβερὸν τὸ θύρηφι
Sudoremque sciunt σοφίης προπάροιθε ἐπιθῆναι,
Ac ita perrexere κατ' ὄρθιον οἶμον ἐπ' αὐτὴν,
Hoc sit iter virtutis, ἐπεὶ πολὺ κάλλιον οὕτω!
Tum Schola præstabit reliquis, ὅσον οὐρανὸς αἴης
Distat, tum patriæ δώσει θεὸς ἄσπετον ὄλβον.
Sed mea Musa tace; ξεῖνοι πρὸς δαῖτα θαλείην
Cum Dominis tendunt, σὺ δὴ τοῦτο τὸ κρήγυον εὔχου,
Fac rata vota Deus, καὶ μοὶ κρήηνον ἐέλδωρ.



JUBILAEUM REPETITUM

SIVE

Carmen ſuperius Græca hemiſtichia totidem verſa Latinis exhibens.

FAma tulit pridem cœloſq; adſcendit ad altos,
Venturos Dominos, queis ſumma potentia rerum,
Quiq; Scholæ præſunt, magno cum Præſide gentis
Palladium ad noſtrum; quod & eveniſſe videmus.
Quid facere? ut Muſis faciant ſolennia ſacra,
Et feſtum curent Natæ Jovis armipotentis,
Carmina quã celebrãt, Cui Franica nobile regnũ.
Jam tribus exactis ætatibus, ut modo vita eſt,
Centum præteriere Jovis, qui maximus, anni;
Has poſtquam ſedes elegit diva Dearum.
Friſica gens colit heic apud Oceanum violentum,
Quam validam fecit bellis habitator Olympi,
Libertas adſerta manu nomen dedit ingens,
Gloria non minor eſt, quam rurſus Pallas Athene
Contulit in nomen gentis, multoſque bonoſque
Edidit inde viros, quorum nec fama peribit.


Scili-

Scilicet his Proceres escam ingessere Deorum,
Augentesque bonis ex pingui aurique recessu,
Undique contraxere, viros hinc inde vocatos.
Hoc generosi homines animis ac mente benigna
Servantes laudis studium, nullum inde laborem
Centum annis posuere, Deus consulta secundat,
Res docet hoc serosque implebit laude nepotes.
Egregium in paucis; etiam res digna stupore,
Quales jam quantique viri cunctasque per artes
Versati, & docti pulchris contendere dictis,
Palladis hoc ornent omnes, mirabile! templum.
Libri hoc in dias mitti quos vidimus auras,
Declarant, & fama jubet res credere tantas.
Si videas Proceres, populum qui nunc patriamque
Consiliis moderantur (in astris fama vagatur)
Proh! nunquam tales vidi nec in orbe videbo;
En adsunt digni totus queis pareat orbis.
Princeps Nassavius, Diis ille simillimus Heros,
Legati Procerum, Frisiorum lumina terræ,
Et queis Cura Scholæ, prudentes atque potentes,
Flosque Senatorum, Legum queis cura sacrata,
Nummorumq; Duces, qui dant in pectora robur;
Multi alii insignes factis nec stirpe celebri
Cedentes reliquis, verbis manibusque juvare
Rem patriã prompti, pariterque boni atque beati,
Et tales queis nullus homo se præferat usquam.
Hi nunc procedũt (ingẽs & splendida pompa est)
Ut læti celebrent sacris encænla Musis.
Libertas renovata Scholæ, quam nescio quæ nox
Presserat invidiæ, quam nunc dono retulerunt
Magnanimi Proceres, ante omnes candida vadit

 Ad

Ad ſacras ædes, ubi regnum Palladis extat.
Huc properant audire virum, cui Suada benigna
Fundere ab ore dedit dulcem præ melle loquelam.
Et tibi dicere vota Pater cœlique ſolique,
Qui per centum annos Franicam complexus es alis,
Ut quam ſervaſti Leidæque parem voluiſti
Hanc augere velis cultuque ſatiſque decoris,
Efferat ut plantas, quæ ramos, ſed mage fructus
Vndique producant, quo ſic res, gloria creſcat.
Et quaſi jam renovet ſe hominum virtute priorum
Nec minus effloreſcat in ævo quod modo cœpit;
Sic equidem res ſunt, hæc creſcit, deſinit illa,
Multa recens prognata Deus mox irrita fecit.
At mihi ſpes ac omen in hoc meliora ferebant;
Tu ſaltem dignare Pater cœleſtis adeſſe,
Perpetuoque fave, cuncti fac laudis abundent
Tam tua qui nobis veneranda oracula dictant,
Quam quos juſſiſti Leges & jura docere;
Sint & Apollinei, ſint & ſapientiæ amantes
Et bene dicentes, fama ſuper æthera noti.
Sed depelle viros, qui peccant hec bene vitam
Inſtituunt, & quotquot inepti fabula vulgi,
Fucis perſimiles obſtrepunt murmure cunctis,
Qui pacem oderunt bellumque ac arma vibrare
Semper amant; utinam nobis pax regnet amica!
Sint juvenes procul hinc queis cordi vita probroſa eſt,
Muſaſque adſpernantur & in mala propria currunt,
Queis ſordet pietas, qui nil niſi peſſima curant,
Qui didicere nihil quam vana, ſuperflua, nugas,
Præque ferunt animos falſos moreſque caninos.
Huc potius quibus hic labor eſt, ſibi dicere legem,
Qui

Qui tantum in ſtudiis animum curaſque locarunt,
Unum hoc qui ſatagunt, ut nocte dieque ſtudentes
His faciant ſacris, ſemper ſua penſa colentes.
Qui norunt quam ſit ſtudiis hoſtile vagari,
Sudoremque ſciunt doctrinæ ſtare minerval,
Ac ita perrexere via, quæ eſt unica ad illam.
Hoc ſit iter virtutis, id ad penetralia ducet!
Tū Schola præſtabit reliquis, ut terra ab Olympo
Diſtat, tum patriæ fœlix Deus adferet ævum;
Sed mea Muſa tace; Convivæ ad prandia læta
Cū Dominis tendūt, Tu hoc uno defungere verſu,
Fac rata vota Deus, percibus, pater, annuc noſtris.



SUR
Le premier, & grand
JUBILE
De la fameuse
ACADEMIE
DE
FRANEQVER
solemnellement celebré le XXIV. de Septembre
M DC LXXXV.

SONNET.

QVoy que l'iniquité sur le trône soit mise,
Que des Rois à ses pieds semblent d'un même accord
Conspirer contre Christ, faire tout leur effort,
Pour rendre à son erreur la verité soumise.

Quoy

Quoy qu'en divers endrois on desole l' Eglise,
Que ses membres sacrez, par un malheureux sort,
Souffrent mille douleurs plus rudes que la mort,
Que Satan reüssisse en sa noire entreprise.

Quoy qu'on supprime, enfin, les Vniversitez,
Où fleurissoient les arts avec les facultez,
Celle de Franequer subsiste dans son lustre.

Le Prince de Nassau, les Etats de ce Lieu,
La feront subsister encor de lustre en lustre,
Afin de soutenir la Parole de Dieu.

Par. M: Nöè.



EXCERPTA
EX
ALBO ACADEMIAE
FRANEKERANAE,

ab anno

CIↃ IↃ LXXXV adusque CIↃ IↃC LXXXV,

quæ, plurima scitu digna, complectuntur.



1586 MARTINO LYDIO Rectore Magnifico primus omnium nomen ſuum profeſſus ac inſcriptus eſt Auſonius Ayſma, (Idibus Aprilis (eodemque die Bononius Meinſma; Juris ſtudioſi.

1587 HENRICO SCOTANO Rect. VI Non. Mart. Guilielmus Baudartius Theol. ſtud.

1591 ALARDO AULETIO R. Marcus Zuerius Antverp. Philos. & Theol. ſtud. XXV Aprilis.

1595 HENR. SCOTANO, Juris unico adhuc & primo Prof. inſc. SAMUEL PETITUS, Gallus Rupellanus, Theol. ſtud. XVI Febr.

1596 A. AULETIO R. XXVI Iulii, DANIEL HEINSIUS, Gandenſis, Juris ſt.

1597 IOH. DRUSIO R. XXII Octob. NICOLAUS BANGIUS, Danus, Juris ſtud.

1599 LOLLIO ADAMA R. VI Aug. WILHELMUS CANTERUS, Vltraiectinus.

1601 IOH. ARCERIO THEODORETO R. IX Nov. Everardus Alb. Bonerus, Iur. ſtud. poſt Curiæ ſupr. Senator.

Martinus Lydius, Rector ſecundùm, jam

multo tempore morbidus, obiit Franekeræ XXVII Iunii, circa quintam matutinam.

1602 Eodem Rect. Pierius Hayonis Winsemius, Leovard. Ling. Log. & Iuris stud. XIII Aprilis.

1604 HENR. ANTONII NERDENO R. BENEDICTUS TURRETINUS Genevensis, Theol. stud. VIII Sept.

1606 RAPHAELE CLINGBYL R. jussu DD. Ordd. & Curat. depositio studiosorum abrogatur.

XXIV Iun. inscriptus DAVID GORLAEUS, Philos. stud.

XXIII Aug. inscr. PETRUS CUNAEUS Vlissingensis, Theol. stud.

1607 LOLLIO ADAMA R. Ioachimus Andreæ, Stralesunda Pomeranus, Juris stud. VIII Septemb.

1608 Eodem Rect. Hector Bouritius Leov. IV Maii.

1609 HENR. DE VENO Rect. Simon Egberti Episcopius, Amstelod. Artium Mag. V Iulii.

Hermannus Gœddæus, Westphalus Benthem. Steinfurto.

1611 SIBRANDO LVBBERTO R. Johannes Hagtingius Leovard. Theol. stud. IV Martii.

Martinus Wilh. Wybinga, Juris stud. XIII May.

Meinardus Schotanus, liter. & Theol. ſtud. VII Maii.

1613 ANDREA ROORDA R. Petrus & Iacobus Lansbergii, Goeſani, Medicinæ Doctores creati, iſte V, hic XXIII Iunii.

Eodem Rect. XXI Octobr. inſcripti Generoſi Barones Poloni, Johannes Demetrius à Gorai Goraisky, & Chriſtianus Gorai à Goraisky, Juris ſtud. & horum Gubernator Joh. Makousky, Theol. ſtud. cum famulis duobus, Theol. ſtudioſis.

1614 Eodem Rect. XXX Martii, inſcr. Chriſtophorus & Albertus, Liberi Barones à Kitlits, cum eorum Ephoro Ger. Coerdes Juris candid. VIII April. CONSTANTINUS L'EMPEREUR Bremenſis, Theol. ſtud. XXIX Maii BERNARDUS SCOTANUS, Juris ſtud.

1615 TIMAEO FABRO Rect. I Maii Carolus Matius, Middelburg. Theol. ſtud.

1616 IOACHIMO ANDREAE Rect. Petrus Moll, Snecanus, Philos. & Juris ſt.

1617 Eodem Rect. III Maii, LEO AB AYTZEMA, Documanus, artium & Linguarum ſtud.

IOHANNE MACCOVIO Rect. V Jul. Arnoldus Verhel, Trajectinus. Ioh. Onuphrius à Swartzemburg, Baro.

1618 MENELAO WINSEMIO Rect. VI Aug. Pierius Winſemius, Menelai frater.

1619 Eodem Rect. XXIV Maii Ludovicus d' Inpeville, Gallus, filius Præsidis Parlamenti Rhotomagensis, Iuris stud.

1620 TIMAEO FABRO Rect. III Iunii THEODORVS GRASWINCKEL I. F. nobilis Delphensis, liter. & Iur. stud.

1621 SIXTINO AMAMA Rect. XXI Iun. Albertus Wostersky Kaplyrz de Sulewicz, Eques Bohemus: Ioh. Bohuslavus Wostersky &c. Eques Boh. Sigismundus Wostersky &c. Eq. Boh. fratres. Paulus Geschinius à Bezdiezy, nobilis Bohemus, Equitum præceptor. Iohannes Dworziak Smerkowski Boh. famulus.

v Aug. Georgius Ehrentreich, Austriacus, Baro in Roggendorf.

1622 Eodem Rect. XIX Ian. Radislaus, Baro Wchynitz & Tettauw, duobus famulis comitatus.

XII April. Bernardus Scotanus Henrici F. publice promotus ab Hectore Bouritio.

XXVI May, Gul. Amesius Theol. Prof. gradu Doctoratus insignitus est à Sibr. Lubberto, postquam ante meridiem De conscientia publice disputasset.

HECTORE BOURITIO Rect. XXX Aug. IACOBUS MELLINUS, Vlissinganus, Theol. stud.

1623 ARNOLDO VERHEL Rect. XXX Octob. Hesselus ab Oostheim & Bartoldus ejusdem

dem filius, Archipincernæ Ducatus Henneberch; cum eorundem pædagogo Henr. Heynſio Pancrano Geldro, Th. ſtud.

Fredericus à Schurman, nobilis Colonienſis.

Ioh. Godſcalcus à Schurman, Fred. F. Geometriæ ſtud.

1624 SIBRANDO LUBBERTO Rect. XIX. Iun. Chriſtophorus à Berge Moravus, Eques & Dn. Bahauſlinz & Heroldit z.

XXV Octob. Maximilianus Telingius, Zelandus, Theol. ſtud.

1625 IOHANNE HACHTINGIO Rect. XVII Iun. Nicolaus & Chriſtophorus Slupetzki, Generoſi Comites Poloni.

1626 GVLIELMO AMESIO Rect. pridie Cal. Iul. Wolfangus Schenck, liber Baro in Tautenbergh.

Septemb. Johannes Cocceius, Bremanus: Sebaſtianus Pfochenius, Fridbergenſis Wedderavus: Johannes Jacobus Wiſſenbachius: Anthonius de Hubert, Zelandus.

1627 BERNARDO SCHOTANO Rect. XVI Sept. Generoſus D. Fabianus S. R. I. Dapifer, liber Baro in Walpurch; ejuſque præfectus, Petrus Wigerus.

1628 Eodem Rect. XXVIII Maii, Generoſus D. Godlobius Berhn, Liber Baro de Data & Lippa: Regni Bohemiæ olim ſupremus Burggravius.

SIXTINO AMAMA Rect. VIII Sept. Adalbertus Henricus Slamata, Liber Baro de Chlum & Cossumberg, cum ejus Ephoro Henrico Huge & tribus famulis.

XXVII Nov. Adamus de Chenitz L. Baro de Tettau; Bohuslaus L. Baro de Hodiegowa. Stephanus Shzela de Rokytz, Eques. Bohuslavus de Hrebezitz, Eques. Ralhibor Sczerka setzitz, Eques. Omnes Bohemi.

1629 XXXI Martii, CASPARUS STRESO, Anhaltinus, Theol. stud.

XVI April. RENATVS DES CARTES Gallus, Philosophus.

MEINARDO SCHOTANO Rect. V Octob. IOH. IONSTONVS, Polonus, Med. stud.

XIV Octob. GULIELMVS PERKINSIVS, Anglus, Theol. stud.

I Decemb. IOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN, Med. stud.

1630 XX April. MARTINVS SCHOOCK, Vltrajectinus, Iuris stud.

XXIV Maii, Generosi DD. Nathanielus, Iosephus, & Johannes Fiemes, fratres, Barones Angli.

1631 IVSTO REIFENBERGIO Rect. XVI Aug. Cornelius Boy, Zirizæus, Iuris stud.

XXIX Aug. Iustinus van Assche, Embdanus, Med. stud.

1632 ADRIANO METIO Rect. XXV Iul. Stanislaus

laus Vitellius de Zelauka Felenski, Liber Baro, Polonus.

xx Aug. IOACHIMUS FRENCELIUS, Lusatus, Philos. stud.

1634 HENRICO RHALA Rect. XXVII Octob. Wolfangus Henricus, Erntmannus Ernestus Ludovicus, Liberi Barones de Butbus, germani fratres, Rugenses, cum eorum Ephoro & famulo.

1635 ARNOLDO VERHEL Rect. VII Aug. Cl. IACOBUS GERSCHOVIVS, L. A. M. Poeseos & Linguarum Prof. Ord. in Academia Gryphwaldensi I. V. D. promotus.

xv Augusti, Nicolaus Goluehosky, Andreas Mecinsky, Nicolaus Krupha, Albertus Malichi, Nicephorus Puczynski; Barones Poloni.

XXVII Aug. Iohannes Lætus, Moravus, Theol. stud.

II Sept. Stanislaus Ossowsky de Ossowatschin, Iohannes Ossowsky de Ossowatschin; Barones Poloni. Geyrgius Lætus de Milomth, Theol. stud. Baronum Ephorus.

1636 Eodem Rect. XXIII Febr. Iohannes Arcerius Snecanus, viri eminentissimi Ioh. Arcerii ex filio nepos, linguarum & Philos. stud.

XXIX Martii, Iulius à Beyma Leovardiensis; filius Secretarii Ordinum Frisiæ, & Professoris Senatorisque amplissimi nepos.

GEORGIO PASORE Rect. VII Decemb. ab Illustrium & Præp. Frisiæ Ordd. delegatis Novemviris, Francisco Camminga ex Oostergoo, Ioh. Clingbyl ex Westergoo, Tiberio ab Oenama ex Septemsylvanis, Epeo a Glinstra ex Vrbibus, introducti sunt sex Professores: IOH. BOGERMANNVS Theologus, CORNELIUS PYNACKERUS I. C. HENRICUS RHALA I. C. PIERIVS WINSEMIVS Hist. & Eloq. BERNHARDVS FVLLENIVS Mathematicus, IOH. COCCEIVS Linguæ Hebrææ Prof.

I Septemb. ARNOLDUS A SLICHTENHORST, Gelrus, artium & ling. stud.

1637 IOHANNE BOGERMANNO Rect. V Aug. Nicolaus Bangius, Danus, linguarum & artium stud.

1639 PIERIO WINSEMIO Rect. XVIII Novemb. Otto & Adolphus, Comites de Limburg & Bronckhorst, Domini in Styrum.

1640 BERNHARDO FVLLENIO Rect. IX Sept. WILHELMVS AB HAREN Leovardiensis, nobilis Frisius, liter. & Philos. stud.

IV Decemb. introductus est IOH. IAC. WISSENBACH ad Iuris professionem extraord. per Rectorem M. Fullenium; cui ea provincia ab ipsis Ill. Ordinum Deputatis mandata per literas, quæ in Archivis repositæ sunt.

1641 Eodem Rect. XX Febr. LAURENTIUS

BANCK

BANCK Gothus, Norcopensis, Iuris stud.

XIII Martii IOH. HENR. SCHICHARDUS, Herbornensis, Juris stud.

NICOLAO VEDELIO Rect. XX Junii, PETRUS DE GREVE Arnhemiensis, Iuris stud. XXIV Aug. NICOLAVS ARNOLDVS Lesna-Polonus, Theol. stud.

1642 CORNELIO PYNACKER Rect. XXVIII Julii, Joh. Bangius Danus, Philos. st.

1643 IOHANNE VANDER LINDEN Rect. XXIV Octob. Wilhelmus à Wassenaer, Haganus, filius nobilissimi D. de Duyvenvoorde, Juris stud.

Eodem Rect. XVIII Decemb. introducti Professores: IOH. COCCEIVS, ad Theol. prof. per Renicum à Burmania, Acad. Curat. &c. IOH. IAC. WISSENBACH I. C. per Hobbium ab Aylva, Curat. &c. comitantibus Livio a Scheltinga & Joh. Nys, itidem Academiæ Curatoribus &c. ac inter utrosque medio Rectore M. Joh. van der Linden.

1644 Eodem Rect. XIII Maii introductus IOH. CLOPPENBVRCH ad Theol. prof. per Renicum à Burmania & Hobbium ab Aylva, Curatores Acad. &c. comitantibus reliquis Curatoribus, & Rectore Magn. eodem, quo proxime ante, modo; itemque Jo. Cocceio, Corn. Pynacker, Pier. Winsemio & Bern. Fullenio.

XXIII Maii, CHRISTIANVS SCHOTANUS Græcæ Linguæ Prof. ad Historiæ Eccles. professionem extraordinariam introductus per Joh. van der Linden Rectorem Magn. cui ea provincia à D. D. Curatoribus demandata.

CHRISTIANO SCHOTANO Rect. XXX Sept. Ferdinandus Capponius, nobilis Florentinus, ob amorem religionis Reformatæ, è paternis ædibus profugus.

Objerunt: Joh. Maccovius, Pier. Winsemius, Corn. Pynacker Juris Prof. primarius, & secundùm exlegatus Africanus.

1646 IOHANNE IAC. WISSENBACH Rect. introducti: CHRISTIANVS SCHOTANVS, ad Theol. prof. XIV Septemb.

1647 XV Martii, GVLIELMVS CUPPIVS, I. V. D. ad professionem Juris ordin. DOMINICUS ACRONIUS A BVMA, ad Eloq. & Historiæ Politicæ prof. ordin. PETRVS MOLL, I. V. D. ad Linguæ Græcæ prof. ordin. IOH. PHOCYLIDES HOLWARDA, Med. & Phil. D. ad Logices prof. ord. LAURENTIUS BANCK, I. V. D. & L. A. M. ad prof. Iuris extraordinariam.

Cal. Aprilis, Isaac Rocamora Lusitanus, religione Iudæus, à Cl. Ioh. van der Linden Med. Doctor promotus.

1649 PETRO MOLL Rect. x Maii ANTONIVS

PERIZONIVS, Lippiaco Westphalus, Theol. stud.

1651 GVLIELMO CVP Rect. Nicolaus, Comes ab Ostuorug, Politices stud.

1653 DOMINICO ACRONIO A BVMA Rect. VII Id. Mart. GVLIELMVS FREDERICVS, Illustriss. Nassaviæ Comes, Frisiæ Gubernator, designatus est huic Academiæ primus CVRATOR Magnificentissimus, primarius, & honorarius.

1655 IOHANNE IAC. WISSEMBACHIO Rect. tria exempla diplomatis Ferdinandi III Cæsaris, quo GVILIELMVS FREDERICVS, Illustrissimus Frisiæ, Groningæ & Omlandiæ Præfectus, PRINCIPIS Nassaviæ nomenclatione auctus est, sigillo Academico sunt munita.

Objerunt: IOACHIMVS ANDREAE, Eques, inter Illustrissimos Foederati Belgii Ordines Generales Frisiæ Delegatus, & Acad. Curator. HOBBIVS A BAARDT, Illust. Ordd. Frisiæ Deputatus, & Acad. Curator.

Introducti XV Sept. ad Theologiæ Prof. Ord. IOH. VALCKENIER, & CHR. SCHOTANVS.

IOACHIMO FRENCELIO Rect. Nobil. Hobbio à Baardt sufficitur THEODORVS BAARD, defuncti F. Ordd. Frisiæ Delegatus. Nobil. Joachimo Andreæ succedit Nobil. Senator HERO AB OCKINGA.

1656 Eodem Rect. xv Martii obiit Dominicus Acronius, Hist. & Eloq. Prof.

1657 CHRISTOPHORO MVNSTERO Rect. natus est HENRICVS CASIMIRVS, Nassaviæ Princeps, quo nomine Patria & Academia lætitiæ signa effuse dederunt.

Eodem Rect. certo sub demenso restituta sunt DD. Curatoribus, & Professoribus, vidualia privilegia Academica.

IOHANNE VALCKENIER Rect. xxx Novemb. ad Ord. Prof. Historiarum & Eloq. introductus VLRICVS HVBER I. V. D. in locum D. Acronii p. m.

1659 GVILIELMO CVP Rect. xxxi Ian. CHRISTIANVS MARGGRAVIVS Liebst. Misnicus, per Cl. Frencelium Med. Doctor promotus est.

PHILIPPO MATTHAEO Rect. vi Iun. introductus est ad ordinariam Matheseos prof. ABRAHAMVS DE GRAV, B. Fullenio p. m. suffectus.

1660 VLRICO HVBERO Rect. v Iulii IOHANNES GREIDANVS L. A. M. & Med. D. à Curatoribus Academiæ introductus est ad ordinariam Philosophiæ professionem in locum Chr. Munsteri p. m.

1661 NICOLAO ARNOLDO Rect. xxx Iulii, Franciscus Petrarius Hamburgensis, Serenissimo Suedorum Regi à consiliis Ecclesiasticis in Ducatu Bremensi, Verdensi &c.

1662 Eodem Rect. XI Jan. Andreas Schultze Hamburg. Med. D. Basileæ à Cl. Caspare Bauhino promotus, Canonicus Capituli Hamburgensis, Juris Candidatus.

Febr… in locum Dominici ab Hottinga, Magn. Acad. Curatoris, suffectus est Nob. SIVCK DE ABINGA DE HVMALDA, gener ejus.

1663 ARNOLDO VERHEL Rect. VIII Jul. Nicolaus Schomerus Osnabrugensis, Consiliarius Brunsvicensis, Juris D. à Cl. Wissenbachio promotus est.

1664 IOHANNE TERENTIO Rect. VII Sept. ABRAHAMVS STEINDAM ad Philosophiæ prof. per Nob. Acad. Curatores, Heronem ab Ockinga, & Suffridum Abinga de Humalda, introductus est.

XXI Octobris, Heros inclytus GVLIELMVS FRIDERICVS, D. G. Nassoviorum PRINCEPS &c. &c. Frisiæ cis ultraque Lavicam & Trentonum Gubernator &c. &c. Academiæ nostræ magnificentissimus Curator, d. XIII. Octob. soluto propria, sed innocenti, manu sclopeto, ac læsa per plumbeum globulum maxilla dextra, totaque facie vi pulveris pyrei fœdata, lethaliter vulneratus, die Octob. XXI sub septimam vespertinam placide EXSPIRAVIT; anno ætatis LI, Præfecturæ XXIV.

XXI Novemb. IOH. SCHOTANVS A STER-

STERRINGA, Christiani F. à Cl. Joh. Greidano publice Lib. Art. & Philos. Magister promotus.

IOHANNES MAVRITIVS, Celsiss. Nassaviæ PRINCEPS, peractis Gulielmi Frederici, patruelis sui, exsequiis, Hagam Comitatensem reversurus die XXVII Decembris, hora post meridiem secunda cum aliquot nobilibus Franekeram transiturus, fracta præ equorum gravitate ponte ligneo (op de Dyck) supinus cum equo in aquam cecidit; aquisque pene adsorptus, propitio Numine discrimen evasit. E quo periculo cum se pessume haberet, humanæ memor fragilitatis, Testamentum scripsit, idque sigillo suo obsignatum in Archivis Academiæ reponere dignatus est.

1665 Eodem Rectore, XVI Febr. obiit Cl. Johannes Jac. Wissenbach, Juris & prudentiæ lumen splendidissimum.

XXVIII Maii BALTHASARVS BEKKERVS V. D. M. à Rev. & Cl. Christiano Schotano Theologiæ Doctor renunciatus est.

PETRO MOLL Rect. IX Sept. VLRICVS HVBERVS ad Juris Professionem Ordin. jussu D. D. Curatorum per Rectorem Magn. introductus.

1666 Eodem Rect. XXVII Feb. MICHAEL BVSSCHIVS per Nobiliss. Curatores introduc-

ducitur ad Hist. politicæ & Eloq. professionem.

1667 IOHANNE VALCKENIER Rect. TACO AGLINS, Nobilis Frisius, à DD. Curatoribus ad Ordinariam Juris Prof. introductus.

VLRICO HVBER II Rect. VII Julii, IOH. MVLLERVS Hamburgensis, Mathematum in patrio Gymnasio Professor, Juris Cand. post Juris Doctor promotus per Vlr. Huber.

1670 ABRAHAMO DE GRAV Rect. XVII Martii à Nobiliss. Herone ab Ockinga, Suffrido Abinga de Humalda, & Allardo P. Jongestall, Academiæ Curatoribus, introducti sunt IOHANNES MELCHIOR STEINBERGIVS, Theol. D. & Prof. Herbornensis, ad Theologiæ Ord. Prof. NICOLAVS BLANCARDVS, Zelandiæ Ordd. Historiographus, Med. D. &c. ad Historiarum literarumque Græcarum Prof. Ordinariam. Sed Steinbergius, ejusdem anni mense Novemb. die XXVI fatis cessit.

ABRAHAMO STEINDAM Rect. XVII Nov. introductus est Cl. & experientissimus Philippus Matthæus Iunior, Med. D. & Prof. extraordinarius apud Trajectinos, ad Ordin. Med. & Anatomes Prof.

1671 Eodem Rect. XII Maii, HENRICVS CASIMIRVS, Celsissimus & Illustrissimus

ſ Naſ-

Naſſaviæ Princeps &c. &c. poſt Orationem in ejus adventum habitam à Cl. Nicolao Blancardo, dicti Principis Ephoro, IN ALBUM Academicum relatus eſt; cui relationi ipſe ſubſcripſit.

1675 I. WUBBENA Rect. XVI Kal. Maii, HERMANNUS WITZIUS, V. D. M. Leovardienſis, mox Franekeranus, ad ordin. Theologiæ Prof. à Curatoribus Academiæ introducitur.

1676 NICOLAO ARNOLDO Rect. menſe Novembri, fatis conceſſit Magnificus & Nobiliſſimus ALLARDUS P. IONGESTALL, Academiæ Curator &c. Huic CIↃ IↃCLXXVII ſucceſſit Nobil. GERLACIUS A DOYS, ſupremæ Curiæ Senator.

1677 ULRICO HUBERO III Rect. HENRICUS CASIMIRUS, Celſiſſ. & Illuſtriſſ. Naſſaviæ Princeps, Friſiorum Præfectus hæreditarius &c. &c. CURATOR Academiæ Magnificentiſſimus, & honorarius, ab Illuſtribus ac Præpotentibus Friſiæ Ordd. creatus eſt.

Eodem Rect. VI. Decemb. IOHANNES VANDER WAEYEN ad Theologiæ & Hebrææ Linguæ prof. introductus eſt.

1678 XVIII Febr. SEBASTIANUS SCHELCKENS Mœno Francofurtenſis, antehac in Illuſtri Gymnaſio Sylvæ-ducenſi Anteceſſor, ad Iuris Ordin. Prof. introducitur.

Eodem die IOHANNES SCHOTANUS

A STER-

A STERRINGA, Christiani F. L. A. & Philos. M. idemque Scholæ Franekeranæ Rector, ad Ord. Philos. professionem introductus est.

PHILIPPO MATTHAEO Iuniore Rect. Mense Iun. Guilielmus Hamilton, Ducis Hamiltonii F. natu secundus, Scoto-Britannus, Iuris stud. inscr. est.

1678 NICOLAO BLANCARDO Rect. mense Sept. Georgius de Chelmica Lutomiersky, Eques Polonus, Theol. stud.

Eodem Rect. QVARTA stipendiorum, quæ Professoribus per diritatem belli Gallici subducta fuerat, iisdem restituitur.

VI Octob. GERHARDVS NOODT, & ABRAHAMVS GVLICHIVS, ille ad Iuris civilis, hic ad Philosophiæ purioris Prof. per Celsiss. Nassaviæ Principem, & IIII viros Curatores ritu solenni introducuntur: sed Gulichius sub ipsum anni exitum, incredibili Academiæ detrimento, diem explevit.

1680 ABRAHAMO DE GRAV Rect. die XV Octob. obiit Rev. & Cl. Nicolaus Arnoldus, per annos ferme triginta Theologiæ Prof. Ordinarius.

1681 Eodem Rect. XI Ian. Cl. TOBIAS ANDREAE, Francofurti ad Oderam Med. Professor, ad Philos. & CAMPEGIVS VITRINGA ad Hebrææ L. Prof. Ordin. introducti.

IOHANNE A MARCK Rect. XIII Iul. obiit Cl. Michael Busschius, Hist. & Eloq. Prof. Ordinarius.

1682 Eodem Rect. XIX Ian. IACOBUS PERIZONIUS, Ant. F. solertis vir ingenii, scriptisque clarus, M. Busschii successor destinatus, à Celsissimo Nassaviæ Principe & IIII viris Curatoribus Academiæ inauguratus est.

Anni ejusdem mense Martio, laudabili Procerum decreto, vir Amplissimus VLRICUS HUBERUS, raræ eruditionis Ictus, & supremæ Curiæ per triennium Senator, cum à Leidensibus secundum peteretur, Academiæ nostræ redditus est, non quidem Professor, sed velut jure suo Exsenator; edendis nihilominus libris æque ac institutioni juventutis domi vacaturus.

Mense Aprili in locum Nobilissimi viri Heronis ab Ockinga, Curatoris Academiæ per annos plures primi, deque ea optume meriti, ob ingravescentem hujus ætatem, suffectus est filius Ampl. IARICHIUS AB OCKINGA, supremæ Curiæ Senator.

1683 SEBASTIANO SCHELCKENS Rect. X Maii, introducti CAMPEGIUS VITRINGA & IACOBUS RHENFERDIUS, ille ad Ordinariam Theologiæ, hic ad Ord. Ebrææ Linguæ Professionem.

PHILIPPO MATTHAEO SENIORE tertium Rect. VIII Sept. fato functus est Cla-

Clarissimus & incomparabilis diligentiæ vir Abrahamus de Grau, Mathematum per annos XXIV Professor Ordinarius.

1684 IOH. SCHOTANO Rect. V Ian. diem obiit Cl. Tobias Andreæ, per quadriennium ferme Philosophiæ Prof. Ordin.

Eodem Rect. IV Decemb. BERNARDVS FVLLENIVS I. V. D. & Excos. Franekeranus, Cl. parentis F. & Abrahami de Grau successor designatus, ad Ord. Matheseos Prof. per Nob. & Ampliss. Acad. Curatores introductus est.

1685 NICOLAO BLANCARDO secundùm Rect. XXIV Iunii, hora ferme dimidia quarta matutina, Celsissimus HENRICVS CASIMIRVS Nassaviorum Princeps, Frisiæque Gubernator hæreditarius &c. ex Illlustrissima conjuge Amelia, Principe Anhaldina, Com. Ascaniæ &c. FILIVM suscepit, qui in sacro lavacro GVLIELMVS GEORGIVS FRISO adpellatus: hujusque tantæ rei gaudia & lætitiam Rectori Magn. totique senatui Academico per humanissimas literas significavit.

Eodem Rect. quarto Iulii die, IMMVNITATES AC PRIVILEGIA, quæ ACADEMIAE Franekeranæ amplissima contigerunt, sed ob temporum calamitates (quibus eluendis totus Frisiorum fundus vix suffecit) per tredecim annos obscura spe & cæca exspectatione suspensa pendebant;

bant; eidem, Illustrium Procerum laudabili liberalitate, REDONANTVR.

XXIX Iulii incipit notabilis ille ANNVS IVBILAEVS, quem quarto ac vigesimo Septembris die Celsissimus Nassaviæ Princeps HENRICVS CASIMIRVS, Frisiorum Præf. hær. &c. &c. nec non Illustrium Provinciæ Ordinum delegati Novemviri, itemque Magnifici Academiæ Curatores Quatuorviri, una cum Senatu populoque Academico, ritu solenni, pompaque festiva, celebrarunt.

Inter nobiles Frisios primus nomen suum apud Rect. M. professus est Fredericus Grovestins, Historiarum & Politices studiosus, nobilissimi Duconis Martena à Burmania ex filia nepos.

XXVI Octob. primus quoque Vitus Salverda Franekeranus, post disputationem De tutelis publice habitam, Iurium Doctor ab Ampl. Vlrico Hubero renunciatur.

CLARORUM
ACADEMIAE
FRANEKERANAE PROFESSORVM MONVMENTA SEPVLCHRALIA, QVAE IN VTROQVE TEMPLO VISVNTVR.

MEMORIAE

HENRICI ANTONIDAE
VAN DER LINDEN,

SS. THEOLOGIAE DOCTORIS,
QVI NERDAE NATVS XIII FEBR. M D XLVI, IVSSV ALBANI DVCIS OB RELIGIONEM PROSCRIPTVS M D LXIII, CARCERIS PERICVLVM, EXILIVM, PARENTIS, SOCERI, ET AFFINIVM IN LANIENA NERDENA KAL. DECEMB. M D LXXII INTERNECIONEM PASSVS, INQVE OMNIBVS DIVINA CLEMENTIA SVSTENTATVS ET CONSERVATVS, AD ECCL. DYKHVSANAE FRISIOR. M D LXXIII, DEIN ENCHVSANAE M D LXXVIII PASTVRAM, TANDEM AD CATHEDR. THEOL. VOCATVS, ACADEMIAM HANC IN PRAESENTIA ILLVSTRISS. GVBERNATORIS GVILIELMI NASSOVII, ET ILLVSTR. AC PRAEPOT. ORD. DELEGATORVM INAVGVRAVIT XXIX IVLII M DLXXXV, HANC AEDEM ACADEMICIS EXERCITIIS INITIAVIT XIII FEBR. M D LXXXVII. ET VSQVE AD XX MART. M DC XIV VERBI DIVINI ET VERAE RELIGIONIS PRAECONIO DEVM LIBERATOREM SVVM GLORIFICAVIT,

NEPOS

IOH. ANTONIDES VAN DER LINDEN, MED. D. ET PROF. ORD. ET ACAD. BIBLIOTHEC. SECVTVS VOLVNTATEM PARENTIS ANTONII VAN DER LINDEN, M. D. AMSTELAED. PIETATIS CAVSA POSVIT XIV IVNII M DC L.

Πᾶσα δὲ παιδεία
πρὸς μὲν τὸ παρὸν οὐ δοκεῖ
χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης·
ὕστερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν
τοῖς δι' αὐτῆς γεγυμνασμένοις
ἀποδίδωσι δικαιοσύνης.
Hebr. XII, 11.

 RE-

REVERENDVS VIR


D. HENRICVS ANTONIDES

NERD. SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQVE FACVLT. IN ACAD. FRANEK. PROF. DVM HIC SVAS COLLOCAT EXVVIAS, ANNO SAL. M DC XIV, AETAT. LXIX, PROF. XXIX, APR. XX.

DEO ANIMAM OFFERT,

AMICIS NOMEN.

HIC IACET ANTONIDES, HIC MVSAE, HIC PAXQVE DECVSQVE,
HIC COLVMEN NOSTRAE DELITIVMQVE SCHOLAE.
QVID? CVBAT ILLE, IACENT ISTAEC; MORS VNA QVIETEM
HVIC PROMPSIT, MVLTIS EXITIVMQVE ALIIS:
PRIVATVM NON ERGO MALVM PLORATE. SEPVLCRVM
FATI EST COMMVNIS, PVBLICA NOXA BONI.



Heus quicumque teris ſacri hujus limina templi,
Suſpice pauliſper, verbaque pauca lege.
Sortem diſce tuam, & quæ te quoque fata manebunt,
Ocyus, aut ſero, corde reconde tuo.
Hoc ſaxo tegitur Petrejus ille Tiara;
Ingens Doctorum, Pieridumque, decus.
Waldrichem ei patria eſt, Friſiorum in littore claro,
Quæque rudimentis nobilitata viri eſt.
Artibus Harlemum poſt pluribus imbuit, atque
Linguis ornavit vim facilem ingenii.
Inde, Machaoniam natura ductus ad artem,
Lovanium vix dum factus ephebus adit.
Tandem Pergameo, Cooque, aliiſque magiſtris,
Artis honos ceſſit ſummus in Italia.
Hanc deinceps toto coluit feliciter ævo,
Muſamque Grajamque, Auſoniamque ſimul.
Scilicet inſignis Medicus, ſummusque Poeta
Audiit, & lingua Philoſophus gemina.
Lovanium expertum eſt Doctorem, ipſumque Duacum,
Lugdunum in Batavis atque Franekra ſuum.
Hæc poſtquam civem, quem multos foverat annos,
Grate complexa eſt, & Schola docta ſenem:
Grandævum, & vitæ ſaturum mors abripit atrox,
Aggregat & civem civibus inde ſuis.
Diſcjte trigeminas non ulli parcere Parcas,
Nec quid in hoc magno ſtare perenne ſolo:
Nam pariter doctos rapit, indoctoſque, bonumque
Una falce virum mors metit, atque malum.

Natus Waldrichemi anno Domini M D XIIII, Iulii XV. Mortuus anno ultimi temporis M D LXXXVI. Febr. IX. Vixit annos LXXII, menſes vi, dies XXV. Dominicus Tiara frater fratri chariſſimo, & Ioh. Arcerius Theod. amicus amico dulciſſimo mœſti, in memoriam ultimæ reſurrectionis poſuerunt.

Extat etiam de laboribus ipſius carmen ejuſdem
IOANNIS ARCERII hoc:
Ad fœlices P. TIARAE manes.

Quam mallem vivo mortem deflere parenti
Natorum, tutor quam eſſe Tiara tuis.
Aut natalitio te patre ſuperſtite verſu
Gratari tibi, quam nunc dare Epitaphium.
Sed bene habet: pater in natis ut vivit, ita ipſe
Non moreris, ſed poſt fata renatus ades.
Pythagoras Samius teſtis te autore fidelis,
Phocylideſque monens, atque Theognis erit.
Teſtis & Euripides quondam, atque ex parte Sophocles
Olim erit, & dius eſt, erit atque, Plato.
In medio & Cous magna gravitate magiſter
Hippocrates, medica maximus arte, aderit.
Ipſe Poetarum pater, Oceanusque immenſus,
Hymnis docturus cæcus Homerus idem.
Quippe omnes Latio per te ſermone loquuntur,
Haud ſecus ac Graio quiſque ſonare ſolet.
O utinam Heſperiam tantum, quantum Hellada, Muſam
Promôſſes! tota Græcia Roma foret.

M DC XXV, X IAN. MORITVR DOCTISSIMVS SIBRANDVS LVBBERTVS, SACRARVM LITERARVM PROFESSOR PRIMARIVS, ANNO AETATIS LXIX, PROF. XL.

LVBBERTVS, NOSTRI QVI LVX COLVMENQVE LYCEI
LVSTRA PER OCTO FVIT, CLAVDITVR HOC LAPIDE.
CLAVDITVR AST TANTVM CORPVS MORTALE; PERENNAT
FAMA VIRI, VIVIT MENS PIA IVNCTA DEO.

ANNO M DC VIII DEN XXV MARTII, IS IN DEN HEERE GERVST DEN AGTBAERE HOOGHGELEERDE DR RAPHAEL CLINGBYL, IN SIJN LEVEN BVRGEMEESTER DESER STEDE, EN ORDINARIS PROF. MEDICINAE IN DE ACADEMIE ALHIER BINNEN FRANEKER, EN LEIT ALHIER BEGRAVEN. HOMO BULLA. OUT XXXIX.

Latine sic.

M DC VIII, XXV MART. IN DOMINO QVIEVIT AMPLISS. ET DOCTISS. DR. RAPHAEL CLINGBYL, DVM VIVERET, COS. HVIVS VRBIS, ET ORD. MED. IN ACAD. FRAN. PROF. HIC SEPVLTVS EST. HOMO BVLLA. AET. XXXIX.

D. O. M.

D. O. M.

S.

E T

ADRIANO METIO ALMARIANO MED. DOCT. ET MATHEMAT. CELEBERRIMO, QVI CVM PER ANNOS XXXVIII. EASDEM ARTES IN HAC ACAD. CVM LAVDE DOCVISSET, ACVTA FEBRE CORREPTVS VIVERE DESIIT.

CORPVS TERRAE, FAMAM ORBI, MENTEM COELO REPOSVIT, XVI KAL. OCT. ANNO M DC XXXV.

Locus Insignium Gentilitiorum.

VXOR MAER. MARITO OPT. ET DESIDERATISS. PIET. TEST. C. H. MON.

P. C.

NOBILIS HIPPARCHOS SOLERTES GRAECIA LAVDET
OBSCVRIS LVCEM REDDERE SYDERIBVS.
DOCTAQVE SE EXTOLLAT PTOLEMAEO NOMINE MEMPHIS,
ALPHONSVM TOTO VESPERE FAMA CANAT.
ET PANDANT CELEBRES RERVM MIRACVLA TVSCI,
DANIA TYCHONIS FLOREAT INGENIO.
ILLVSTREM HOC VNO SE IACTAT FRISIA CIVE,
GAVDET ET ANTIQVIS BELGA TVLISSE PAREM.
QVID METI QVAERIS TVMVLVM? QVAECVNQVE NOTAVIT
VISIBVS, HAEC SEDI VENDICAT ASTRA SVAE.

P. WINSEMIVS.

SYMB. MORS SOLA FATETVR QVANTVLA SINT HOMINVM CORPVSCVLA.

D. S.

ET

MEMORIAE

CLAR. VIRI D. SIXTI ARCERII, MEDICI EXPERIENTISS. GRAECAR. LIT. ET HIPPOCRAT. PER XVIII ANNOS IN ACAD. FRISIOR. INTERPRETIS,

QVI,

POSTQVAM CVM LAVDE SVVM AEVVM IN CAELIBATV TRANSEGISSET, VIXISSETQVE ANNOS LII, MENSES VII, DIES XIX, LENTA TABE CORREPTVS VIVERE DESIIT, KAL. AVG. M DC XXIII.

PAVLVS FRATER ET IAQVELINA SOROR HOC MON. FRATRI DESIDERATISSIMO MOESTI POSVERVNT.

EFFERAT INGENIVM PRISCI NATVRA LEPORIS,
MAEONIDEM LAVDET GRAECIA CVLTA SVVM.
SVAVISONOS TEIIS MODVLETVR ANACREON IGNES,
PYTHIA THEBANIS PINDARVS ORE TONET.
HOC VNO VETERES AGNOVIT FRISIA GRAIOS,
HOC VNO VOLVIT SVADA PELASGA LOQVI.
PATRIA DA VENIAM, MVTAVIT GRAECIA SEDEM,
ET LYRICI NOBIS IAM PERIERE SALES.

P. WINSEMII
HISTORIOGRAPHI.

D. O. M.

D. O. M.
S.
ET
NOBILISS. REVER. ET CLARISS. VIRI
D. IOHANNIS MACCOVII, SS. TH. D.
ET PROF. PER ANNOS XXIX
IN HAC ACAD.

QVAE DEDERAT LASCO PATRIAM, CVNASQVE PRIORES,
DOCTORVM INGENIIS INCLYTA SARMATIE.
HAEC EADEM AETHEREO PERFVDIT LVMINE CIVEM,
FECIT ET AVGVSTE VERBA LATINA LOQVI.
SACRAQVE DISCENTI MYSTERIA PANDERE TVRBAE,
ET QVICQVID VETERES EDOCVERE SOPHI.
DESINE TAM CLARVM PLORARE POLONIA CIVEM,
ILLE TIBI FAMAM DEBVIT, ILLE SIBI.

OBIIT MDCXLIV,
XXIV. IVNII,
AETAT. LVI.

P. WINSEMIVS.

SYMB. VITA CIRCENSE CVRRICVLVM.

D. S.
ET
AETER. MEM.
CLAR. VIRI MENELAI WINSEMII MED.
ANAT. BOTAN. PER ANNOS XXIII PROF. CE-
LEB. FRATRIS VN. ET DESIDERAT. MOEST.
P. C.

IACTET APOLLINEOS SVBTILIS GRAECIA MYSTAS,
EXTOLLAT COOS, PERGAMEOSQVE SENES.
ROMA SVVM GRAIIS COMPONAT LIBERA CELSVM,
ET SIBI BIS NATVM VENDICET HIPPOCRATEM.
HIC TIBI PERGAMEVM DONAVIT FRISIA CIVEM,
HIC DEDIT ET COIS TE QVOQVE POSSE LOQVI.
HIC TIBI ROMANI DETEXIT DOGMATA CELSI,
NOMEN VT E GRAIIS DVCERET ET LATIO.

P. WINSEMIVS ILLVST. ORD. HISTO-
RIOG. ELOQ. ET HIST. PROF.

M DC XL, XVIII NOVEMB. OBIIT HENRICVS RHALA I V D ET PROFESSOR, ANNO AETATIS XLIX.

IVRISCONSVLTI HIC HENLICI RHALA SEPVLCHRVM EST,
INCOMPARABILIS VIRI,
IVRIS QVI IN FRISIA, ET QVI PRAESTANTISSIMVS OLIM
PROFESSOR ELOQVENTIAE.
NOX PREMIT HVNC, AT FAMA VIRI POST FVNERA VIVIT,
MAIORQVE POST CINERES VENIT.

P. P. I. R. S.

IN OBITVM

NOBILISS. SPECTATISS. CLARISS. CONSVLTISS. ET ACVTISSIMI VIRI

DN. ARNOLDI VERHEL, I. V. D. L. A. M. PHILOSOPH. PROFESS. PRIMARII IN ACADEMIA FRANEKERANA ANNOS XLVII, NATI AMISFORTII MDLXXX, ET DENATI QVARTO RECTORIS MAGNIFICI MDCLXIV.

CESSISTI TANDEM FATIS GRANDAEVE VERHELLI,
VITAMQVE CHRISTO, CVI DICAVERAS, REDDIS.
GRAECIA NESTOREOS EXTOLLAT LAVDIBVS ANNOS,
PRVDENTIAMQVE PRAEDICET SENECTVTIS.
NESTOREVM PROPE CVM SPATIVM TVA VIDERIT AETAS,
VIRTVTE EAM PRVDENTIAQVE VICISTI.
SI QVA FIDES PIETASQVE FVIT, SI CANDOR IN ORBE,
PARS MAGNA TECVM CONDITA EST SEPVLTVRA.

COLLEGAE VENERABILIS MEMORIAE
D. V. HVBER.

IN TVMVLVM INCOMPARABILIS PHILOSOPHI
D. ARNOLDI VERHEL.

CONDITVR HAC PARVA MAGNVS VERHELLIVS VRNA,
INGENIVM TANTI NON HABET VRNA VIRI,
QVO SOPHIAE DOCTOR PER SEROS CLARVIT ANNOS,
AETERNASQVE SIBI CONCILIAVIT OPES.

H. NEVHVSIVS.

D. O. M. S.

CLARISSIMO ET VNDIQVAQVE LAVDATISSIMO VIRO, D. BERNHARDO SCHOTANO, FRISIO, RELIGIOSISSIMI IC PRIMI ET PRIMARII IN ACAD. FRANEK. ANTECESSORIS D. HENRICI SCHOTANI P. M. FILIO, ICTO SVI TEMPORIS CELEBERRIMO, ET MATHEMATICO INSIGNI, PRIMVM IN SVPREMA FRIS. CVRIA ADVOCATO SOLERTISSIMO PER ANN. III. POST IN ACAD. PATRIA FRANEKERANA IVRIS PER ANN. X. EXINDE IN VLTRAIECTINA IVRIS ET MATHES. PER ANN. V. AD EXTREMVM IN LVGD. BATAVA IVRIS PER ANN. XI. PROFESSORI PRIMARIO; IN ILLA BIS, IN ISTA A CVNABVLIS ACAD. PER QVINQVENNIVM, IN HAC SEMEL RECTORI MAGNIF. CONSILIARIO PERPETVO. QVONDAM CIVITATIS PATRIAE SYNDICO, REI PVPILLARIS ADMINISTRATORI, IN ECCLES. TVM PATRIA, TVM BATAVA, SENIORI GRAVISSIMO. DE IVVENTVTE STVDIISQVE PVBLICIS QVA LVCVBRATIONIBVS, QVA VIVA VOCE PRAECLARE MERITO: VIRO CVM PRIMIS HVMANITATE PROMPTISQVE OFFICIIS NVLLI NON DOMI FORISQVE GRATO, NEMINI MOLESTO; POSTQVAM PERPETVIS VIGILIIS ATQVE LABORIBVS, TANDEM NEPHRITICIS DOLORIBVS MACERATVS, PIE PLACIDEQVE EXPIRASSET LVGD. BATAV. ANNO M DC LII, OCTOB. V, AETAT. SVAE LIV. HOC MONVM.

P. P. MAESTISSIMI SVPERSTITES, VIDVA
ET FILIVS.

HEIC CARO PASORIS RECVBAT SED FESSA LABORE,
MENS SVRSVM TENDENS GENIIS COMITATA TRIVMPHAT.

GEORGIVS PASOR SS. THEOLOG. ET LINGVAE HEBAEAE PER ANNOS XIX HERBORNAE, GRAECARVM LITER. PER ANNOS XI IN HAC ACADEMIA PROFESSOR, HEIC GLORIOSAM CARNIS PRAESTOLATVR RESVRRECTIONEM. NATVS ELLARAE NASSOV. KAL. AVG. M D LXX. DENATVS FRANEKERAE IV EID. DECEMB. M DC XXXVII.

M DC LVII. XXVII. IAN. OBIIT BERNHARDVS FVLLENIVS, HEBR. LING. POST MATHES. PROF. AETATIS LV.

COELESTES RIMATE PLAGAS, DOCTAEQVE MAGISTER
ARTIS, IN AETHEREAS QVAE RAPIT ANTE VIAS,
QVAM MENS CORPOREIS COMPAGIBVS EDITA RVMPAT
AETHERA, SEQVE LOCET NOBILIORE POLO.
OPTIME FVLLENI, LATERI CONIVNCTE SODALIS,
NOS REPTAMVS HVMI, TE CAPIT AVLA DEI.
COLLIGIMVR SENSIM, TERRAEQVE EXCEDIMVS ORIS,
EXILIVM TERRA EST, PATRIA CARA POLVS.

C. SCHOTANVS.

IOHAN-

IOHANNI BOGERMANNO I. F. FRISIO, IN EXILIO NATO, ECCLESIASTAE DISERTISSIMO, THEOLOGO DOCTISSIMO, VIRO PRVDENTI, SYNODI NATIONALIS DORDRACENI PRAESIDI GRAVISSIMO, VET. TESTAMENTI INTERPRETI, AC INTERPRETAT. RECOGNITORI ACCVRATO, ACAD. FRANEQ. PROFESSORI PRIMARIO, DE ECCLES. ET REPVB. BELGICA DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS OPTIME MERITO, EOQVE PATRIBVS PATRIAE CHARISSIMO, MARITO INCOMPARABILI VIDVA MOESTISSIMA

MARGARETA PETRAEA

HOC MONVMENTVM PONENDVM CVRAVIT.

OBIIT MDCXXXVII, XI SEPTEMB. AET. LXI.

MONVMENTVM SEPVLCHRALE VIRO INCOMPARABILI D. IOHANNI IACOBO WISSENBACH NASSAVIO, I. V. D. ET PROF. PER ANNOS XXIV IN FRIS. ACADEMIA CELEBERRIMO, M DC LXV, XVI FEBR. DENATO, A SECVNDA CONIVGE RIXTIA DOMANS ERECTVM.

HOC SAXO TEGITVR TOTO CELEBERRIMVS ORBE
WISSENBACH, LEGVM GLORIA, IVRIS HONOS.
INGENIO, ELOQVIO, CALAMO, VIRTVTE SECVNDVS
NVLLI, QVEM CATHEDRAE, CVRIA, TEMPLA, FORA,
INNVMERAE GENTES, BELGAE, GERMANIA LVGENT:
FRISIA LVGE VIRVM NON HABITVRA PAREM.

P. MATTHAEVS.

HOC TVMVLO CONDITVS EST
REVER. AC CLARISS. VIR D.
IOHANNES CLOPPENBVRG,
SS. THEOL. DR ET PROF. O-
LIM PASTOR AELBVRGEN-
SIS MDC XVI. HEVSDANVS
AB MDCXVIII. AMSTELRED.
AB MDCXXI. BRIELANVS AB
MDCXXX. SS. THEOL. IN A-
CAD. HARDEROVICENA
PROF. ET VERBI DIVINI MI-
NIST. AB MDCXL. ET POS-
TREMO THEOL. PROF. AC
VERBI DIVINI MINISTER
ACAD. FRISIORVM FRANE-
KERANAE AB MDCXLIV. NA-
TVS AMSTELREDAMI
MDXCII, XIII MAII, DENATVS
FRANEKERAE MDC LII,
XXX IVLII.

ME-

MEMORIAE AETERNAE

D. NICOLAI ARNOLDI,

LESNA POLONI, SS. THEOL. DOCT.

ET PROF. IN ACADEMIA FRANEK.

PER ANNOS XXX BENE MERITI,

PIE DEFVNCTI XV OCTOB.

MDC. LXXX, AETATIS LXII.

FRISIA SIS MEMOR ARNOLDI, QVI OSTENDIT ATHENIS
CHRISTVM, QVEM SCRIPTIS POST SVA FATA DOCET.
QVIS FVERIT CONSTAT: LACRYMIS AGNOSCITVR VRBIS,
FRATER AMORE PIO, SORTIS HONORE PATER.
DOCTRINAE MELIORIS AMANS, PIETASQVE SVB ISTO
RELLIGIOQVE DIV VINDICE TVTA STETIT.
HAEC AIT, AVT CONSTANS HAC CVM PIETATE MORABOR,
AVT MIHI IAM NVLLVS RESTAT IN ORRE LOCVS.

MOESTVS POSVIT COLLEGA

M. BVSCHIVS P. P.

HOC SAXO CONTINENTUR OSSA
VIRI CLARISSIMI
GULIELMI CUP. I. V. D.
EIUSDEMQ. FACULTATIS DUM VIVERET
PROFESSORIS APUD FRISIOS PRIMARII;
NATI BOMMELIAE,
DENATI FRANEQUERAE
XVI IAN. MDCLXIX. AETAT. LXIII
BEATAM RESURRECTIONEM
CUM FIDELIBUS EXSPECTANTIS
IN CHARISSIMI PATRIS SUI
MEMORIAM
MOESTUS POSUIT FILIUS
VINANDUS CUP, I.V.D.

TACO A GLINS IURIS PROFESSOR, AC
MAGNIF. P. T. ACAD. RECTOR,
NATUS III IULII M DC XXIX,
DENATUS XI FEBR. MDCLXXIII.

GLINSIUS EXPLEVIT FATUM: CUI FRISIA PRISCA
SUPPEDITAT CLARUM NOBILITATE GENUS.
QUEM COMES HINC VIRTUS, COMES INDE SCIENTIA CINXIT,
HINC DOLET EXTINCTUM PALLADIS AULA DUCEM.
SUNT GENEROSI ALIIS EXEMPLO; AT GLINSIUS IPSIS:
ILLUSTRANS STUDIIS NOBILITATIS AVOS.
SIDERA SI RURSUS PETAT IMPIGER ICARUS ALIS,
TUNC GLINSI PENNIS HAC IUVAT IRE VIA.
INGEMIT IPSA THEMIS TUMULO; CANDORQUE PROBATUS
TACONIS CINERES NUNC AIT ESSE SUOS.

MEMORIAE DESIDERATISS. COLLEGAE
POSUIT M. BUSCHIUS, PROF.

LAU-

LAVRENTIVS BANCK, NORCOPENSIS GOTHVS, PHILOS. ET IVRIVM DOCTOR, PER ANNOS XV IN HAC ACADEMIA EXTRAORDINARIVS PROFESSOR, HOC SAXO CONDITVS BEATAM RESVRRECTIONEM PRAESTOLATVR. DENATVS XIII OCTOBRIS MDCLXII.

D. O. M.
E T
AETERNAE MEMORIAE
IOHANNIS M. STEINBERGII,
SACRARVM LITERARVM
MAGNI RROFESSORIS,
CVIVS
QVOD CLAVDI POTVIT
HEIC IACET.
SOPHIA POSTHIA
CONIVGIS CHARISSIMI
FAMAE ORBI NOTAE,
VIRTVTI COELO RECEPTAE,
F. C.
OBIIT M. DC. LXX,
XXV NOVEMBRIS,
AETATIS XLV



FINIS.



Parte ſecunda, pag. 72, lin. 9, poſt vocem conrector, omiſſum fuit: ſolertis vir ingenii, ſcriptiſque clarus.

De Martino Lydio auctor vitæ Parei, operibus ejus præfixæ, ſic ait: *Collegio Sapientiæ* [apud Heidelbergam] *præerat Z. Vrſinus Vratiſlavienſis Sileſius S. Th. D. & Prof. tum Ord. in Academia: cum Collega Paulo Cnipio, qui poſtea relicto Collegio Doctor juris renunciatus in Belgium ad Conſilia vocatus diſceſſit. Cui ſucceſſit novus Collega M. Lydius Lubecenſis, qui recens ex Academia Tubingenſi Heidelbergam advenerat. Idem poſt Academiæ diſſipationem, 1576 in Belgium tranſlatus eſt, & Theologiam feliciter docuit in celeberrima Academia Franekerana, quem David Pareus ad extremum uſque vitæ amicum habuit conſtantiſſimum.*

